4° Dl.
3.101. (20.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

SISTENS

ΑΦΟΑΡΣΙΑΝ

CORPORIS CHRISTI IN CRVCE EXSTINCTI,

EX PSALMI XVI. COMM. X.

ASSERTAM,

SCRVPVLISQVE RECENTIORIS ANONYMI

LIBERATAM,

IN ACADEMIA REGIA

GEORGIA AVGVSTA

INTER IPSA

DEDICATIONIS ILLIVS SOLENNIA

PRO OBTINENDIS

SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS,

DISQVISITIONI PVBLICAE

EXPOSITAM

A

BALTHASARE MENTZERO,

PROT ECCLESIASTE AVLICO HANNOVERANO,

REGIAE MAIEST. MAGNAE BRIT.

PER ELECTORATVM BRVNSVIC. AC LVNEB.

CONSILIARIO CONSISTORIALI ET ECCLESIASTICO, DVCATVSQVE CALENBERGICI SVPERINTENDENTE GENERALI.

GOTTINGAE,

STANNO I. C. L. SCHVLTZII, ACAD. TYPOGR.

ПРОКОПІЙ КЕСАРІЙСЬКИЙ

ВІЙНА З ВАНДАЛАМИ

Переклад з давньогрецької
Вступ, коментар і примітки
Олександра Мишанича



CONSISTORII SACRI REGII HANOVERANI

PERILLVSTRI DIRECTORI

ET

SENATORIBVS VENERABILIBVS,

COLLEGIS AC FAVTORIBVS SVIS

SVMMO STVDIO CVLTIS COLENDISQVE,

DOCTORALEM HANC DISSERTATIONEM

DAT, DICAT

AVCTOR.

DOCTORIS THEOLOGIAE titulum me nuper adsciuisse, quem haud diu mansurum esse Doctorem Ecclesiae, aetas significat prouectior, si quis forte miratur, ei me ita excuso, vt dicam, cum iam A. M D CC XIV. in conuentu Dioceseos Londinensis insigne Doctorale solenniter mihi traditum fuerit vna cum Diplomate, me facile impulsum esse, vt in GEORGIAE AVGVSTAE solenni inauguratione, cuius partem facere oportebat Concionem meam inauguralem, REGIS iussu habendam, publice renuntiari vellem *S. Theol. Doctor*, primusque tum creari Doctor Gottingensis. Institi sic ma-

io-

iorum meorum vestigiis, quorum merita in orthodoxam Ecclesiam etiamsi non assequor, eodem tamen constitutus in gradu, recte, nisi fallor, feciſſe iudicabor, quod inuitante tam pulchra occasione, ita publice sum professus in nouo illo literati orbis theatro, me doctrinam nostrae Ecclesiae sedulo propagaturum esse, quoad vixero, tuiturumque. Ac iam dudum hoc mihi demandatum est officium, postquam DEO annuente AVGVSTISSIMO REGI nostro placuit, me & Consistorialibus suis Ecclesiasticisque Consiliariis adiungere, & Antistitem creare aulicae pluriumque sui Electoratus Ecclesiarum. Vobis igitur, VIRI PERILLVSTRIS, MAGNIFICI, SVMME REVERENDI, AMPLISSIMI, Vobis, inquam, fauentibus quin hoc a me factum sit, nullam dubitandi causam nactus, offerendam Vobis consecrandamque duxi *Doctoralem* hanc *Dissertationem*; quam more Academico hunc in modum con-

ſcripſi, vt nihil eorum omiſiſſe videar, quae praeſtare ſolent, qui *Doctorum* cupiunt adſcribi in numerum. Cum igitur Concio mea inauguralis ſimul haberi queat pro Concione *Licentiatis* iniungi ſolita, praetereaque Orationem habendo publicam Latinam, inque publica Diſputatione Antagoniſtae partes agendo, ceteris Doctoratus competitorum officiis rite ſatisfecerim; hoc vnum ſupereſſe videbatur, ut a nouo Doctore noua componeretur publicaretur-que *Theologica Diſputatio*. Hunc argumenti non illius quidem noui, ſed nonnullis tamen obſervationibus meis illuſtrati libellum cum confiderem a Vobis exceptum iri beneuolentiſſime, Veſtra ei nomina illuſtria praefigenda cenſui, ita ſimul teſtatum facturus, quanto Vos cultu proſequar, & quantopere gratulaturus mihi ſim, ſi amorem fauoremque, auctori adhuc prolixiſſime praeſtitum, nunc deriuabitis in Doctorale hoc ſpecimen, & benignos Vos ei praebue-

bueritis iudices. Iudices sane grauiores ac sapientiores exoptare mihi non possum, qui dotes Vestras singulares ex tot annorum coniunctione collegiali ita habeo cognitas ac perspectas, vt, diuinitus Vos electos esse, qui rem gubernetis Ecclesiasticam in regionibus his Electoralibus, tam clare intelligam, vt dubitationi locus relinquatur nulli. Tuas quidem virtutes, *Vir Praelustris*, TAPPENI, sacri Collegii *Director* grauissime, ita admiror, ita mecum admirantur omnes, vt Tua pietas, Tua iustitia, Tua prudentia, Tua in agendis rebus dexteritas, Tua denique humanitas, Te facere iudicetur Antistitem sacri iudicii omnibus absolutum numeris. Te, *Summe Reuerende* GVDENI, eruditio Theologica excellens, Historiaeque Ecclesiasticae peritia summa, ac rari exempli virtus, iamdudum ita fecit conspicuum, vt inter lumina Ecclesiae orthodoxae & columina eminentiorem locum teneas sine

controuerſia. Te, *Generoſiſſime* DE BODE, non affinitas ſolum teſtataque multis officiis beneuolentia mihi amabilem, ſed Tuum quoque ingenium, ad res ſtrenue ac feliciter peragendas natum, & ad expedienda difficillima quaeque ſemper paratum, reddidit admirabilem ac venerabilem. Te, *Summe Reuerende* ERYTHROPILE, qui quotidie mihi reddis patrem Tuum, cuius ſummas virtutes ſummumque erga me amorem nunquam ſine tanto dolore, quantum tanta iactura meretur, recordor, Te, inquam, germaniſſimam Beati genitoris imaginem, ita colo, vti coli fas eſt virum ſui muneris ex omni parte obſeruantiſſimum, & non modo doctrinae, verum etiam oeconomiae Eccleſiaſticæ cognitione inprimis ſpectatum. Tui vero quam iucunda mihi eſt recordatio, *Summe Reuerende* KOENIGI! qui duplici συνεργίας ſacrae vinculo mecum conſtrictus, fraterna mihi praeſtare ſoles ſiue officia ſiue beneficia, viricu-

lasque meas Tuo adminiculo ſuſtentas, ac maximi a me fis ob iunctam eruditioni ſingularem prudentiam, & non ſolum theoretici, ſed etiam practici iudicii vbertatem. Ac quantus Tu mihi es Apollo, *Amplisſime* GRVPI! qui eruditione tum Critica, tum Iuridica dudum nomen adeptus nobiliſſimum, aliquot iam annis totam Conſiſtorialis Conſiliarii menſuram implesnullique labori ſuccumbens Spartam,quam nactus es, ornas fulgentiſſime. Vobis igitur, *Viri Venerandi*, *Fautores*, *Collegae*, *Fratres*, quovis titulo maiores, Doctoralem hancce meam Diſſertationem dicatam ſacratamque volo, Vosque etiam atque etiam rogo, vt iuſtiſſimum hoc deditiſſimi Vobis animi declarandi ſtudium ne adſpernemini, ſed pro generoſa Veſtrarum mentium indole aequi bonique conſulatis. DEVM vero, illum omnis boni fontem, eumque perpetuum ac perennem, ſupplex adoro, vt Tibi, *Perilluſtris* noſtri Ordinis *Director*, vt Vobis,

bis, *Regii Consistorii Senatores Venerabiles*, vitam largiatur largissimam, viresque adhuc clementissime donatas conseruet, & ad vltimum humanae senectutis terminum producat, atque ita Vestro diutissime vtatur ministerio ad auertenda vel praeuertenda quaeuis Ecclesiae CHRISTI incommoda, & ad eius augendas omnis generis vtilitates. Hanouerae, die XXIV. Ianuar.

MDCCXXXVIII.

LECTORI SALVTEM!

Vt grata plerumque mortalium ingeniis nouitas eſt, ita nec eam vbique carere periculo, vel horum abunde, proh dolor, exemplis conſtat, qui, nouarum gratia coniectationum, facem adferre ſanctioribus oraculis ſuſtinuerunt. Quos quidem, caue putes, in eo, me iudice, peccare, quod ſuis, quam alienis, rem metiri iudiciis malint, nec maiorum ſe vsque adeo addicere placitis, vt, ſi qua vera viſa fuerint, hoc ſolo nomine, quod noua, vera minus haberent. Fatendum enim, quod in Parallelis FRANCISCVS IVNIVS (a) *ſcripſit: quaecunque ſunt vetera, fuiſſe noua, ac non propterea nouitatis nomine vitioſa. Neque illud omnino volumus, vt, in ſacrorum interpretatione voluminum, nihil non dictum antiquis adferatur, ſeu δυσνόητα ſpectes illa, & argumenta nondum ad liquidum ſatis perducta, ſuisque exſoluta nodis, quibus ex Hiſtoriarum, Antiquitatis, Chronologiae aut Geographiae ſtudiis, & quibuscunque artibus, lux quaedam affundi poſſit; ſeu ea etiam, in quibus vel impeditior textus συνάφεια, vel ambigua vocum & phraſium ſignificatio, interpretationem difficiliorem reddit, quo fit, vt praeter voluntatem etiam, quod* MALDONATVS (b) *ipſe accidiſſe ſibi aliquando profitetur, in nouam ſententiam rationibus maioribus impellamur. Hic ſane tantum*

)( )(

(a) Tom. I. Opp. p. 1005.

(b) In Matth. XIX. 11. Conf. *Riuetus* Tom. II. Opp. pag. 741. b.

rum abeſt, vt caſtigationem mereantur, qui nouas, ſed idoneas, non contortas illas, nec quaeſitas magis, quam inuentas, proferunt textuum diuinorum elucidationes, vt gratiae ipſis merito referantur nouitatis inuentae, quae, ſiquidem veritatis habere gratiam comperta fuerit, non iam nouitas, ſed reſtituta putari antiquitas debet: quum & hic illud vſu veniat, antiquiſſimum quodque veriſſimum eſſe, vel, ſi mauis, veriſſimum quodque antiquiſſimum. Quandoquidem vero ipſo rerum docemur vſu, non intra hos ſe continere terminos quoscunque, qui nouarum aliquid in ſcripturas ſeu obſeruationum ſeu coniecturarum conferunt: quum, praeter illos, qui fidiculis velut in ſuos ante conceptos animo errores ſanctiora oracula pertrahunt, tot alii, vel ſolo ducti nouitatis ſtudio, vel ingenii vbertate calentes, vel litterarum atque externae eruditionis adparatu inſtructiores, vel iudicii, quo pollent, acumini plus iuſto tribuentes, conquiſitis & in faſcem collectis magis, quam expenſis meditatisque ſedulo nouitatibus, Scepticismum Exegeticum vel imprudentes inferant: tum illud ſane religioni maxime noxium & funeſtum bonis omnibus eſſe facile iudicabitur, ſi quando in ea loca inciderit praepoſtera innouandi libido, dicam, an diligentia? quibus ipſa praecipue continentur morum fideique capita, quibusque adeo ſollicitatis fundamentum ipſum fidei, organicum, quod dicimus, concutitur. Vt recte omnino pronuntiauerit Ven. (c) WOLFFIVS, *Hamburgenſis, rem peſſimi exempli eſſe, periculi item & offenſionis pleniſſimam, ſi coniecturis vta-*

(c) Praef. Part. III. Curarum Phil. & Crit. in N. T.

ptaris in locis eiusmodi nouo sensu induendis, quibus & antiquioris & recentioris memoriae interpretes, communi fere consensu, vsi sunt, ad doctrinas aliquot fidei iis ita superstruendas, vt idonei habiti sint, qui in Libris Symbolicis & Institutionibus Theologicis recte adhibeantur.

Equidem ex horum numero locorum esse illud Dauidis oraculum, apparet, cuius hic partem alteram tractare, post celeberrimorum quorumcunque & Theologorum & Philologorum industriam, iam nobis, occasione oblata recenti, visum fuit. Obtulit eam Obseruator Anonymus, noua interpretatione id agens, vt, ἀδιάφθορον omnino corpus Saluatoris optimi, in cruce exstinctum, fuisse, inde certo colligi non posse, demonstraret. Quem quidem virum doctum, quum verbi diuini ministrum nostratem meritissimum, νῦν ἐν ἁγίοις, fuisse, post absolutam scriptionem edocti simus; quum fidei item ἀναλογίας se tenacissimum professus fuerit; quum scrupulos denique obortos sibi eximi, dubiisque iusta tractatione fieri satis, cupiuerit: absit, vt ei animum fuisse non bonum, aut intentionem novandi in rebus fidei, suspicemur: habuisse nihilominus existimamus, cur a proponendis publice scrupulis, praesertim leuioribus illis, sibi temperaret, nec, quod fieri minime omnium debebat, in sententiam, nouitatis quae fauore blandiebatur, se proniorem, re nondum ad animum reuocata curatius, profiteretur. Quae cum ita sint, & in sensu oraculi nouiter interpretando, simul auctoritas Iesum inde verum esse Messiam demonstrantium Apostolorum versetur:

tur; opportunitate nobis oblata, voti damnare, solutione dubiorum, dubitatorem Anonymum, suscepimus. Quod ita quidem praestandum videbatur, vt PRIMVM *verbis diuini vatis eum in esse sensum, quem adhuc Theologi, magno consensu, tribuerunt, argumentis & inprimis vi insita verborum & phrasium, efficeretur;* DEINDE *vero, quae obstare videbantur Anonymo, modestum sub examen reuocata, tanti non esse, constaret, vt noua oraculi interpretatio quaerenda, nedum amplectenda sit. Faxit Deus, hanc operam euenire feliciter, & quam Nostro iam gratulamur adeptam, beatae ἀφθαρσίας gloriam, vi meriti Redemptoris ἀφθάρτε benigne tibi, Lector, tandem nobisque conferat! Amen.*

CAPVT PRIMVM,

COMMVNIOREM, ID EST, VERAM SENTENTIAM DE ’ΑΦΘΑΡΣΙΑΙ CORPORIS CHRISTI OMNIMODA EX FONTIBVS ERVENS.

§. I.

CHRISTVM IESVM ſine exemplo hominem, qua corpus etiam, quod ex Maria virgine verum & naturale quidem, ſupra tamen naturae vires, aſſumſit, cum plura arguant, & ea praeſertim, quae per ἀναμαρτησίας praerogatiuam inerat, ſumma εὐκρασία, ab eademque pendens immortalis vitae conditio, naturalis illa, qua *mori* quidem abſolute non impoſſibile, (actu enim mortuum,) ſed *mori* tamen *per naturam*, imposſibile fuerat: tum non negligenda in his eiusdem ſanctisſimi corporis, poſteaquam libere mortem ſubiiſſet, *omnimoda* ’ΑΔΙΑΦΘΟΡΙΑ, qua exanime licet atque ſepultum, ab omni tamen corruptionis aut putrefactionis noxa immune fuit. Cuius quidem rei per antiquitatem omnem, ſeu ſacra, ſeu profana in memoriam reuocaueris ἱσορέμενα, exemplum fruſtra quaeſiueris.

Henochum certe atque *Eliam* credimus, vt mortis lege, ſic corruptionis, quae morituros omnes manet, peculiari prorſus exemtos conſilio diuino, Gen. V. 24. Hebr. XI. 5. 2. Reg. VI. 7. Et, quam ſuperſtites pantocritica die, Paulo teſte, ſunt experturi ἀλλαγὴν μυςηριώδη 1. Cor. XV. 51. eam vt corruptionis, quae partium diſſolutio eſt, aliquid habituram ἀνάλογον ſuſpicemur, adhuc equidem ratio nulla eſt. Diſſentientem licet non ignoremus *Abrah. Calouium* Bibl. illuſtr. ad Matth. XVII. 3. ne illos commemoremus, quibus & in hac mutatione mortem interuenturam, veroſimilius videbatur, Deo per virtutem ſuam extinguente, & viciſſim ſtatim excitante, quos, vt ἀνάλογον ſimul corruptionis ſtatuiſſe, non conſtat, nec negata, quam poſt alios *Io. Achat. Colerus* objicit (Diſp. de diuina diſpenſatione circa legem omnibus hominibus latam §. XII.) omnium κόιμησις, ſatis videtur refellere: ita nolim pro ſententia ſua adſtruenda ad aſſertum ſanctiſſimo ſervatori ἀφθαρσίας priuilegium eos confugere, quod *patrum maximam* feciſſe *turbam*, *Gennadius* auctor eſt, libro de eccleſiaſticis dogmatibus (qui in Tertulliani olim, nunc Auguſtini circumfertur operibus) Cap. VII. Attamen ſolus ille, qui ex immundis mundus ſolus, ſcelerisque purus natus, liberator IESVS eſt, qui *nec mortem omnem* ſubuectione in *coelum anteuertit*, nec mortis ſaltem quoddam ἀνάλογον, ſed *veram mortem ſubiit*, qua ἀφῆκε τὸ πνεῦμα Matth. XXVI. 50. ἐξέπνευσε Marc. XV. 37. Luc. XXIII. 46. παρέδωκε τὸ πνεῦμα Ioh. XIX. 30. ceſſantibus nimirum a functionibus ſuis, organis in vniuerſum omnibus, *ſepultus* inſuper, atque in ſepulcro, ne de veritate rei dubitandi locus ſupereſſet, *ad tertiam vsque lucem commoratus*, nihilominus a corruptione omni aut alteratione, quae putrefactionis rationem habere pos-

posſit, ſanctisſimum corpus ſuum immune, virtute diuina, praeſtitit. Solus inquam, & unus, ſeruator IESVS eſt, hoc etiam inſignis praefratribus omnibus priuilegio. Nec enim fabula nos mouet Iudaica, ingenio digna auctorum, de ſeptem ſanctis, quibus vermis non fuerit dominatus, in lib. Ialkut memoria prodita. Cui aliam de cadauere R. Ahay addunt, de qua *Menaſſe* Lib. II. de reſurr. c. 17. & *Io. Hornbeckius* Controu. Iud. Lib. III. cap. II. p. 250. Nec moratur *Hugo Grotius*, eumque ſecutus *Simon Epiſcopius*, corpus etiam *Moſis*, quod ſepultum, contra expreſſam literam Deut. XXXIV. 6. negare forte non auſi (quamuis negantem *Ioſephum* ſine cenſura Grotius dimittat,) aſſeruatum tamen a putredine atque cuſtoditum angelorum miniſterio, ſine teſte, ſumentes, quibus *Calouius* d. l. & *Gottfridus Olearius* Obſeru. ad Matth. pag. 485. fecere ſatis. Sanctorum etiam, quos papaea veneratur ſuperſtitio, corpora incorrupta credita, vt ſuo loco relinquamus, neque vel in recenſendis, vel diiudicandis aliorum, quorum cadauera innoxia reperta, exemplis, ſeu piorum, ſeu impiorum, principum, aut de plebe virorum, cuiuscunque ſectae aut religionis fuerint, operam collocemus, otia nobis *Chr. Frid. Garmannus* fecit Lib. III. de miraculis mortuorum tit. II. §. 10. ſeqq. p. 948. ſeqq. & is iure meritoque ſanctiſſimo corpori IESV omnimodae ἀφθαρσίας praerogatiuam vindicans, §. 3. ſeqq. de ceterisque omnibus generatim pronuntians §. 8. p. 947: *Quod ſi ad tempus durat, perpetuo vix duraturum credo cadauer. Et iſta ἀφθαρσία corruptionem habet comitem, dum cadauer exſiccatur ſudore, madore & ſitu diffluit, atque ita tandem marceſcit, colorem atrum adſciſcit, adeoque multum de priſtina figura deperdit, & niſi ab iſta eluuie purgetur, a putredine ſubigitur. Quicquid dicant, nullum cadauer eſt, quod perfecte ἀ-*

φθαρ]ον & *de putredine vere triumphat.* Merebatur hinc ista sanctissimi corporis ἀφθαρσία inter ea locum, quae *Christum sine exemplo hominem*, Dissertatione Academica e Lutheri cathedra an. M D CC VI. sub moderamine b. *Wernsdorffii* habita, propositurus, §. XVIII. XIX. de corpore etiam singularia doctissimus auctor commemorabat.

§ II.

Eam vero seruatoris optimi, quem per omnia, naturae quidem assumtae propria, fratribus ὁμοιωθῆναι, Paulo teste decebat, prae fratribus tamen post mortem praerogatiuam insignem fuisse, vt, nisi diuina auctoritate, credi, rationibusque inuictis, haud par erat: sic testem omni exceptione maiorem, DAVIDEM, non theologi demum, nostra qui vixerunt aut proavorum aetate, sed eodem Spiritu ducti *Petrus* atque *Paulus* Apostoli, ipsis sub ecclesiae Iesu initiis, adpellarunt, IESVM NAZARENVM verum, a prophetis praedictum, MESSIAM esse, ex eiusdem gloriosa resurrectione comprobaturi.

En verba Dauidis, e suis repetita fontibus Psalm. XVI. v. 10. eiusdemque praesertim hemistichio posteriori: לא תתן חסידך לראות שחת: Et versionem accipe apostolicam, cui cum ista LXX. seniorum ex asse convenit, Act. II. 27: ϰὐδὲ δώσεις]ὸν ὅσιόν σϰ ἰδεῖν διαφθοράν. Et Cap. XIII. 35: ὀυ δώσεις]ὸν ὅσιόν σϰ ἰδεῖν διαφθορὰν. Atque ista quidem ab vtroque Christi legato, ad Christi resurrectionem a diuino vate praedictam, referri, res ipsa loquitur, nec monitore opus est. Verum enimuero,

ro neque per accommodationem tantum, aut occulti cuiusdam ſenſus inueſtigationem, ita referri, vt ſtatuamus, ſanior hermeneutica permittit, vim verbis fieri prohibens ſcriptoris cuiuscunque, nedum ſacri. Quem tamen hic errorem viri magni atque eruditi errarunt. At nobis hic diſerte Apoſtolus Petrus auctor eſt, εἰς αὐ῀τὸν *in Ieſum ipſum* velut *digito extenſo*, Dauidem locutum eſſe, vel ſi mauis *intuentem* in ipſum, aut ad ipſum *reſpicientem*. Nam ita ſuum εἰς αὐ῀τὸν mox παραφράζει v. 29. 30: προφή῀της ὢν ὑπάρχων καὶ εἰδὼς κ. λ. ΠΡΟΪΔΩΝ ἐλάλησε ΠΕΡΙ ῀της ἀναςάσεως τῦ Χριςῦ. Recte igitur illud εἰς pro περὶ adhibitum dicitur, quod & Græcis ſcriptoribus aliis in more poſitum eſſe viri eruditi probarunt: nec ſine emphaſi tamen adhibitum, verum ita, vt nobis regium vatem προϊδόν῀α *ante intuentem in Chriſtum* eiusque reſurrectionem, ſiſtat, & Prophetarum more, quae praeuiderat, *de* illo, certe velut euentura, praenuntiaret. Vnde porro illud εἰς αὐ῀τὸν, quum in prima perſona, tanquam de ſe ipſo Pſaltes loquatur, b. *Rambachio* videbatur, Dauidem *in illum quaſi transformatum, eiusque perſonam repraeſentantem* notare, Inſtit. herm. lib. II. cap. II. not. ad §. V. pag. 111. id quod tamen, in re ipſa potius, quam vi φράσεως latere, parallelismus Eph. V. 32. ne de profanis dicam, docere poteſt. Tum vero iſtud praeſertim viros doctos, ne de remotiore ad Chriſtum reſpectu aut arbitraria accommodatione cogitarent, abſterrere debebat, quod apoſtolos deprehendamus illud ipſum pro veritate euangelica quam fortisſime vrgentes, & occidiſſe Dauidem & corruptionem ſenſiſſe, alium igitur eſſe, de quo dixerit, non permiſſum iri ἰδεῖν διαφθοράν. Haec ſumma orationis Petrinae Cap. II. v. 29. 30. 31. 32. atque idem Paulus breuius inculcat Act. XIII. v. 36. 37. Quae

ſa-

ſane ſunt eiusmodi, vt frigidus hic, ſi vnquam alibi, in ornanda allegatione apoſtolica, euaſerit magnus ille *Hugo Grotius*, quem ſuo merito b. *Calouius* caſtigauit Bibl illuſtr. ad Pſalm. XVI. v. 2. & 10. & meruerit Grotianam ſententiam amplexus *Rich. Simonius* cenſuram *I. Henr. Maii* in Exam. hiſt. crit. N. T. Simonii Cap. XXII. p. 302. neque hic, eadem licet chorda oberrans, quidquam medelae attulerit *Io. Clericus*, cui dixiſſe ſatis erat: *Non ſunt ita haec capienda, quaſi Petrus velit, Pſalten de ſe ipſo noluiſſe loqui* &c. notis ad *Hammondum* Act. II. 31. Quibus tamen in paraphraſi pſalmorum album nihilo ſecius calculum adiecit *Renatus Andreas Cortum*, notatus *Franc. Wokenio* Harmon. V. & N. T. Part. I. p. 288. Viderint autem, quibus iſta placent, num in Apoſtolorum auctoritatem iniurium non ſit, quae iſti de Dauide vera eſſe palam inficiantur, atque hinc in alium ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ excitandum ab eodem omnino dicta fuiſſe, ex euentu ipſo comprobant, ea nihilominus & de Dauide vera eſſe, nec in Chriſtum ex intentione loquentis primum dicta fuiſſe, profiteri, hoc eſt, rem, cui religionis Chriſtianae veritas omnis innititur, reſurrectionem Chriſti, ficulneo, & tali eos ſuperſtruxiſſe argumento, ſibi perſuadere, quod auditorum cuiuis, vel leviter rerum gnaro, hoc uno velut difflare halitu integrum fuerat: eſſe haec in Dauidis perſona ſuum complementum aſſecuta, neque opus quidquam in hoc loco de Meſſia, nedum eius ex mortuorum ſtatu ſuſcitatione, cogitare. Vidit, ni fallor, rectiora *Philippus Limborchius*, non omnino tamen ſenſum *primum*, at *imperfectum admodum* de Dauide, vt typo Chriſti, abiicere auſus. Nam is, poſt allegata Dauidis verba, quibus *praecipue reſurrectionem Chriſti praedictam* ſcripſerat, haec addit: *Quae verba ſenſu* PRIMO *&* IMPERFECTE ADMODVM *Dauidem reſpiciunt, vt* TYPVM *Chriſti, quatenus Deus ipſum*

ab

ab insidiis ac violentia Saulis liberauit, atque ita ALIQVATENVS *dici potest non esse relictus, scil. ne occideretur, & in sepulchro corruptionem subiret. Attamen recte Apostolus Petrus Act. II. 25. & Paulus Cap. XIII. 36. 37. contra Iudaeos probat, ea in Dauide non esse impleta, hoc est,* PERFECTVM SVVM COMPLEMENTVM, *iuxta* GENVINAM *ac propriam verborum significationem, vltimamque* DEI INTENTIONEM, *non habuisse. Verba enim haec, si propriè, prout sonant, accipiantur, praedicunt, eum, de quo enuntiata sunt, in sepulchro non corrumpendum. Atqui hoc in Dauidem non quadrat: - - Ergo sequitur, hic praedici resurrectionem mortui, ex morte, & quidem, antequam caro corruptionem videret, suscitati. Id vero impletum est in Domino Iesu* &c. Theol. Christ. Lib. III. Cap. XXVII. §. XXXIX. p. m. 295. Quae quidem heic, paucis monuisse sufficerit, non alium in finem, quam vt vindicata literali oraculi Dauidici de Christo solo interpretatione, recte etiam pro ἀφθαρσία sanctissimae carnis Iesu indidem adstruenda, τὸ ξηρὸν cum Apostolis urgeri, intelligatur. Neque enim nunc vel in hanc satis tritam tot viris summis arenam animus est descendere, vel cum recutitis etiam conflictari, praesertim recentioribus, quibus refutandis instar omnium esse possunt *Io. Frischmuthus*, *Brand. Henricus Gebhardi*, ac *Nicol. Koeppenius*, hic, in Commentatione Anti-rabbinica in Ps. XVI. de Messia ex morte rediuiuo, Gryphiswi 1728. edita; iste, in Exercitatione Anti-rabbinica ibidem an. 1719. in lucem emissa; ille in Dissert. de Messia in sepulchro non relinquendo ad Ps. XVI. 10. Ienae 1660. habita, quae recusa in Thesauro Theol. Philol. V. T. fol. 604. sqq. Nec praetereundus ven. *Ion. Conr. Schrammius*, Helmstad. Theologus, Dissert. de optato muneris Christi exitu ad Ps. XVI. fere ante hos decem annos habita §§. I. II, III. IV.

§. III.

Atque iſtis quidem tum veteris, tum noui foederis oraculis, quibus ſimul ſui interpretem, cui refragari nefas, ſanctisſimus Spiritus agere voluit, quum corpus Seruatoris, ſupplicio crucis exſtinctum, vitae reſtitutum iri, nec, ſepultum licet, quae communis ceteroquin corporum inhumatorum ſors eſt, in cineres redigendum eſſe, doceri, nemo orthodoxus dubitet: De eo tamen recens ſcrupulos mouit vir quidam doctus, qui nomen adhuc ſuum nos ignorare voluit: *an ſatis tuto ab omni etiam corruptionis aut putrefactionis initio illud immune fuiſſe, inde probari ac pro certo adfirmari poſſit?* Cui, quid reſpondendum ſit, nunc age, auſpiciis ſupremi omnis vitae veritatisque auctoris, paullo curatius diſpiciamus.

Quem innuimus auctor eſt obſeruationis eruditae, collectioni animaduerſionum varii generis, quam b. *Io. Chr. Colerus* ann. M DCC XXXIV. edere inſtituit Part. IV. N. XI. p. 553. ſeqq. inſertae ſub tit. **Eines Ungenannten beſcheidene Vorſtellung einiger Zweiffel bey der gemeinen Lehre von der gäntzlichen Unverweßlichkeit des Leibes und Blutes Chriſti nach ſeinem Tode.** Atque is, propoſitis, quae communiorem premere ſententiam videbantur, difficultatibus, tandem p. 558. 559. his verbis, quae eruditorum iudicio permittit, nouam declarat ſibi natam hypotheſin: Ich bin daher auf dieſe Meynung gerathen: „Chriſti Leib und Blut habe die Verweſung nicht geſehen wie andere Menſchen, daß er angefangen zu ſtincken, von Würmern gefreſſen, in atomos verwandelt worden. Denn alles dieſes ließ die Kürtze der Zeit von etzlichen 30. Stunden nicht zu. Wie wir aber ſtatuiren, daß

„daß diejenigen, welche den jüngsten Tag erleben, analo-
„gon aliquid mortis leiden müssen, so könne und müsse man
„auch, wenn anders analogia fidei bestehen soll, sagen, daß
„der Herr Christus analogon aliquid corruptionis gelit-
„ten habe. Er habe die Verwesung nicht gesehen finaliter,
„also daß er in der Verwesung geblieben.„ In quam inquiri opinionem & subortos eximi scrupulos quum postulauerit auctor, nec iniquum, nec immodeste petiit, vt repulsam ferre non meruerit, praesertim de analogia fidei seruanda sollicitus, quam non aeque curae cordique esse deprehenderis omnibus, in coniecturas circa textus sacros pronis. Cui si hac opera gratum fecerimus, & nobis gratum fuerit. Forte & accuratiori industria singula ad viuum resecandi aliis occasionem suppeditabimus, quum per negotiorum concatenatam varietatem nobis equidem non liceat esse prolixioribus. Simul vero de sententia alius viri eruditi arbitrium ferendum foret, modo, quid ista sibi velint, de sanctissimo corpore Iesu scripta: Welcher zwar, dem ewigen Rathschluß GOttes nach, unverweßlich, aber eben so gut, als zu den aller kleinsten und untheilbarsten Sonnen-Stäubgen vermodert, war, sine interprete intelligeremus. vid. Hamburgische Berichte von gelehrten Sachen an. 1736. pag. 298. in recensione Programmatis huius Academiae Paschalis, *certitudinem perennis hominum vitae, morte corporis non obstante, per experimentum resurrectionis Domini & capitis nostri I.C. inuicte confirmatam*, erudite sistentis. Ceterum praelusisse nouae opinioni *Dan. Heinsium*, *Thomamque Bartholinum* dixeris, his, quae de vocabuli διαφθορὰ significatu, ex ingenio magis quam rei veritate, monuerunt, mox ad §. V. nobis commemorandis.

§. IV.

Vt ea vero, quae praeſentem haud attingunt controuerſiam, operoſius ne perſequamur, neque in Philologorum campos, vocabulorum & phraſium rationem omnem enarrando, latius, quam pro neceſsitate, diffundamur: *duo* ſunt, in quae praecipue cogitando animum intenſum defixumque habere conuenit. *Alterum*, vt, quid rei ſit illa diuinisſimi corporis ἀδιαφθορία ex intentione Spiritus ſancti, & vi vocum לראות שחת ἰδεῖν διαφθορὰν, disquiramus. *Alterum*, vt, quae diuinae οἰκονομίας, conſiliique in hoc negotio verſantis ratio ſit, per negatam διαφθορᾶς permisſionem, in perſonae τοῦ חסיד dignitate fundatam, qua pote, veſtigemus.

Habent, ſi qui philologica deſiderent, aut accuratiorem ſingularum vocum tractationem, unde ſitim reſtinguere poſſint, ſi vel commentatores adeant in Pſalmorum librum quoscunque, recentiores praeſertim, *Geierum*, *Tillium*, *Michaelis*, ceteros, vel laudatos in hunc textum lucubrationum Academicarum auctores, *Friſchmuthum*, *Gebhardi*, *Schrammium*, *Koeppenium*, quibus &, quos inſpicere nobis non licuit, iungendi, *Ruardus Andala*, Exegeſi totius Pſalmi XVI. Franequerae 1716. edita, & *Petrus Rhebinder* Exercitatione in eumdem philologica, Regiomonti 1636. publici iuris facta: nec non b. *Sal. Glaſſius* in Selectis ſcripturae Dauidicae, *Seb. Schmidius* Pſalm. Dav. de Chriſto append. *Tarnouius* in Pſalm. paſſional.

V.

Quod ad primum igitur attinet propoſitae tractationis momentum, vt, quo ſenſu hic negetur Soſpitator mundi experturus corruptionem, conſtare poſſit,

fit, de significatione vocis שחת quaestio occurrit, nec illa nos habitura multum sollicitos. Siquidem, interprete auctore ipso, cui & Dauides, &, qui eum laudant, primipili euangelii doctores & res & verba debebant, Spiritu sancto, nobis hic διαφθορὰν vox hebraea denotare debuit, quod vocabulum graecum, & origine & vsu satis notum, subtilius quam verius nonnulli hic a simplici φθορὰ & composito altero κατα-φθορὰ sensu diuersum esse contendunt, quum *corruptionem* generatim significet, qua res desinit esse, quod ante fuit, speciatim vero in oratione vtraque apostolica destructionem corporis exanimi, qua paullatim illud resoluitur in cineres. Quam eandem significationem hebraeo שחת, quidquid contra recutiti molientur, & vsus, & deriuatio, & cum his ipsa, quam urgent, *foueae* notatio comprobat.

Διαφθορὰν *corruptionem generatim* significare, ἀπὸ τ῀ διαφθείρειν deriuatio euincit, cuius vsum verbi loca Luc. XII. 33. 2. Cor. IV. 16. 1. Tim. VI. 5. Apoc. IIX. 9. & XI. 18. varium edocebunt. Et oppositum vocabulum, ἀδιαφθορίαν Paulus Tit. II. 7. de doctrinae *integritate* seruanda adhibuit. At hic eam *speciatim*, quae emortuorum corporum destructio esse solet, *partium dissolutionem*, notari, quando putredinem contrahunt, exeduntur a vermibus, in cineres rediguntur, nexus orationis, qui subiectum negatae διαφθορᾶς corpus Christi exanimum atque sepultum constituit, dubitari non permittit. Quorsum illa etiam faciunt, de Dauidis corpore sepulto, eodemque τ῀ διαφθορᾷ obnoxio, & monimento sepulcrali, Apostolorum tempore adhuc superstite. Act. II. 29. XIII. 36. Iam eundem simplicis

quoque vocabuli φθορά significatum esse, frequenti, vel sacrorum saltem scriptorum, vsu constat: quos inter corporis animo cassi dissolutionem speciatim φθορὰν Paulus appellat 1. Cor. XV. 42. 50. & φθαρτὸν corpus hominis corruptioni obnoxium, ibidem v. 53. 54. hominemque ipsum eodem sensu Rom. I. 23. quibus ἀφθαρτον & ἀφθαρσίαν opponit, iisdem locis & 1. Cor. XV. 52. 1. Tim. I. 17. vnde ἀνάστασιν Graeci definiunt ἔγερσιν ἐκ φθορᾶς πρὸς ἀφθαρσίαν, indice *Alstedio* Lexic. Theol. Cap. XIX. art. 1. Neque vero negauerim, in his præter corruptionis aut incorruptibilitatis significationem, mortis etiam aut immortalitatis interdum notationem simul contineri. Id tamen perpetuum non esse, ex 1. Cor. XV. 53. 54. manifestum, vbi τὸ θνητὸν cum opposita ἀθανασία sigillatim commemoratur. Non admittenda igitur *Heinsiana* a *Bartholino* recepta subtilitas, auctorum, quod fieri tamen debebat, vsu non comprobata, qua φθορὰν faciunt solutionem animi & corporis, quam partium & humorum resolutio sequatur; διαφθορὰν, quum corpus sic consumitur, vt sola ossa remaneant; & καταφθορὰν, quum ea quoque dissoluuntur. Et ex his primam speciem Christum fuisse expertum, adstruitur, id quod, si rem spectes, facile etiam se probauerit nostro auctori. Conf. *Io. Andr. Quenstedt* Disp. de vulneribus Christi cap. II. quaest. 3. §. 8. Equidem iam olim *Io. Damascenus* monuit (disceptatae inter veteres controuersiae: *an Corpus Christi nulla ratione senserit corruptionem?* neruum inciturus) aliam esse corruptionem, quae fiat *per separationem formae viuentis*, quae concedenda sit de corpore Christi; aliam *per resolutionem in cineres seu in elementa*, διάλυσιν καὶ ἀφανισμὸν, quae neganda sit, annotante *Er. Brochmando* Syst. Theol.

Tom.

Tom. I. art. XVI. cap. I. Sect. XIII. At is nihil de partium & humorum resolutione separationi formae viuentis in Christi corpore concedendae addit, quamuis & hanc *corruptionis* vocabulo tutius sit non appellare. Sed nunc illud ipsum graecum vocabulum διαφθορὰ Hebraeo שחת declarando perperam adhiberi, cum *foueam* hoc quidem, non *corruptionem* significet, haud veritus est conuitiari *R. Isaac ben Abraham* pestilentissimo libro Chissuk Emunah inscripto. Cuius audaciam retuderunt *Iacobus Goussetus* Confutatione istius libri p. 423. & *Brand. Henr. Gebhardi* in Vindiciis centum locorum N. T. adversus eundem, loc. LXIX. pag. 185. seqq. Quorum ille, tum exemplis, tum ex radice שחת corruptionem quoque שחת dici euincit; hic eandem voci notionem, saltem in loco Psalm. XCIV. 13. ab ipso *Aben Esra* vindicatam, monet, ac praeterea, neque in nostro loco alium obtinere posse significatum, ex contextu vrget; postremo ad consensum quoque Iudaeorum, veterum aeque ac recentiorum, prouocans. Et sane, quum non hoc tantum loco, sed pluribus, septuaginta seniorum versio τὸ שחת per suum διαφθορὰ expresserit, quae loca commemorat *Hugo Grotius* ad h. l. sensuque parum vel nihil diuerso per θάνατον Iob. XVII. 14. & eandem vim φράσεως *R. Dauid Kimchi* & *R. Isaac* agnouerint, de quibus monuit *Abr. Calouius* Bibl. illustr. h. l. neque aliter versio recentior *R. Iosel Witzenhausen*, cuius editionem geminam *Ioh. Athiae* debemus, Iudaeo-Germanica: Du solst nit überäntworn deine Bieder-Leut die Verderbung zu selyen; cui & Psalm. LV. 24. שחת באר non puteus foueae est, sed fouea corruptionis, die Grub der Verderbniß; nec de significatu radicis שחת, quam per simplex etiam φθείρειν, atque huic similia, ὀλοθρεύειν, ἀπολλῦναι &c. Graeci interpretes efferre solent, dubium cuiquam esse possit; Tum facile adpa-

ret,

ret, nonnisi in anguſtias redactos mortalium miſerrimos hoc de effugio coepiſſe cogitare. Quod diximus autem, ipſam *foueae* notationem id, quod volumus, ſimul comprobare, illud in eo ſitum eſt, quod nec *foueam* ſimpliciter, ſed *ad interitum*, *perditionem*, διαφθορὰν, comparatam, q. d. *foueam corruptiuam*, aut *corruptionis locum*, שחת appellari, & vſus, & vocis etymon inferunt. *Vſum* inductione locorum praeſertim Iob. XVII. 14. XXXIII. 22. 28. Pſalm. XLIX. 10. aduerſus R. *Luſitanum* diſputans, *Io. Müllerus* probat, Iudaism. detect. Cap. XXII. p. 912. Verum & etymon, conſtructione שחת טז, *foueam* ſignificantis, cum verbo maſculini generis Pſalm. XCIV. 13. declaratur, quae ת radicale eſſe, neque adeo a שחח vel שח vel שוח, ſed a שחת, etiam quando *foueam* ſignificat, deriuari, commonſtrat. Neque eam vim vocis ignorabat, quam modo citauimus, translationis Iudaeo-Germanicae compilator, vertens, & iam indicato loco Pſalm. XCIV. & Pſ. CIII. 4. non *foueam* ſimpliciter, ſed *corruptiuam*, eine verderbliche Grub, manifeſto deriuationis ex radice שחת indicio. Quae quidem nunc ἐξ ἐπιμέτρου velut, monuiſſe ſuffecerit. De *Morino*, textum a Iudaeis corruptum ſuſpicante, & *Sim. Muiſio*, ſeruata *foueae* notione, in noſtro etiam loco, *triduum*, quo Chriſtus in ſepulcro moratus, *pro tempore nullo* cenſeri, putante, ne quid addamus, de quibus *Friſchmuthus* monuit cap. I. §. XXIII. & XXIV.

§. VI.

At nunc φράσιν potius integram לראות שחת & quae eidem in Graeca veritate reſpondet ἰδεῖν διαφθοράν, meditari conuenit. Quod dum agimus, illud primum tamquam dubio carens omni ſupponimus, tam Hebrae-

braeum ראה, quam graecum ἰδεῖν, hoc loco, vt alias saepius, in vtriusque foederis tabulis, pro *sentire* aut *experiri* generatim, aut, si malueris, *vti fruiue*, immo potius *perpeti*, aut quocunque modo *subire* positum esse. Vt שחת לראות idem quod הִשָּׁחֵת corrumpi, destrui, dissolui, ἰδεῖν διαφθορὰν idem quod διαφθείρεσθαι significet.

Res notissima sacrae scripturae interpretibus, & vbiuis obuia ראה *visum* proprie denotans, per synecdochen metaphoramque ad sensum generatim aut experientiam transferri. Qua de re, praeter *Flacium* & *Glassium*, memini me quaedam adnotata legere cel. *Rusio* Disp. II. de somno pistorum praefecti §. IV. pag. 10. Iuuat de malorum perpessione speciatim adhibitum notare Ierem. V. 12. יבא חם ילא יראה כי & Cap. XVII. 8. נראה וחרב ורעב לא iterumque Cap. XLII. 14. אשר לא נראה מלחמה *Videre gladium*, *aestum*, *bellum*, in his haud dubie est experiri, consentientibus omnibus, nisi quod illud יִרְאֶה Ierem. XVII. 8. Alexandrinis interpretibus ex ירא *timuit*, deriuatum visum fuerit. Graecum ἰδεῖν, eidemque synonyma ὄπτεσθαι & θεωρεῖν Jerem. V. 12. XLII. 14. Luc. II. 26. Jo. III. 3. IIX. 51. Apoc. XIIX. 7. parili sensu adhibita, hebraismum sapere, plerisque visum est viris eruditis. In quam caussam quae contra *Seb. Pfochenium* disputata sunt *Vorstio*, *Mosi Solano*, atque *Thomae Gatakero*, locis a Ven. *Wolffio* Curis Philol. Crit. ad Luc. II. 26. & Io. III. 3. allegatis, nolim nunc tangere. Sunt tamen, qui ex profanis huc denuo quaedam attulere, *Iac. Elsnerus* Obseru. sacr. ad Luc. II. 26. *Frid. Adolph. Lampe* Commentar. ad Io. III. 3. *Christ. Sigism. Georgius* de hebraismis, nec non *Io. Conr. Schwarz* Commentar. Crit. & Philol. linguae Graecae N. F. diuini pag.

410. ſeq. Disquirant iſta, per nos, & discutiant ſollicitius, quorum illud intereſt. Nobis illi ſuas recte rationes iniiſſe nunquam viſi ſunt, qui hebraismi vitioſi nomine accuſant, quidquid vel ad genium linguae primaeuae conuenienter dictum, vel in nullis veterum Graecorum aut Romanorum monimentis a ſe hactenus deprehenſum fuerit. Neque noſtro quidem iudicio, ſi quae e poëtarum libris adferuntur, repudianda hoc ſolo nomine, aut in proſaicae orationis naeuis connumeranda ſunt, niſi ſimul & poetis propria, & extra carmen praeter rem & conſilium adhibita fuiſſe, probatum fuerit. Conf. ſis *Ant. Blackwalli* Crit. ſacr. Tom. I. Part. I. Cap. I. cum monitis ad eundem nuperi interpretis, reu. *Chriſtoph. Wollii* pag. 6. ſqq. Quidquid tamen eius ſit, nobis hic de ſenſu potius quam puritate ſacrae elocutionis ſollicitis, illud fuerit ſatis, Apoſtolum vtrumque, verſionem τῶν ὁ ſecutum, per ſuum ἰδεῖν διαφθοράν Hebraeum לראות שחת ad verbum exprimentem, non aliam, quam, quae per has voces hebraeas nobis offertur, animo concepiſſe ideam, tum vero, nomine שחת per eorundem ſanctorum duumuirum auctoritatem, ſignificatione διαφθορᾶς, corruptionis, adhibito, non poſſe verbum, quocum conſtruitur לראות, alia, quam generali *experiundi*, *patiendi*, *ſubeundiue*, notatione poſitum iudicari. In qua phraſi tamen, praeter metaphoram viſus ad experientiam aut ſenſionem quamcunque translati, ſimul illud adnotari καταχρηſικὸν meretur, quod oculorum vſus enecato corpori tribui videatur, cui illud ſimile, quando *videre ſomnum* dormientes dicuntur, quum ſomnus viſionis actum demat: prout iſta de catachreſi monuit *Salomo Glaſſius* Rhetor. ſacr. lib. V. tr. I. cap. XII. pag. 1809.

§. VII.

§. VII.

Iam igitur, ſe *viſurum* שחת negans SANCTVS IEHOVAE, corruptionis ſemet aut putrefactionis, quae corporum exſtinctorum deſtructio eſt, fore *expertem* ſignificat. Atque illud in ſanctisſimo corpore IESV eueniſſe, Apoſtoli confirmant, dum ſepultum licet illud, tamen μὴ ἰδεῖν διαφθορὰν praedicant. Vtrinque vero, quando reſtrictionis nihil a Spiritu ſancto additum, nec boni fuerit interpretis, vim vocum, reſtrictione de ſuo facta, imminuere, niſi forte, quae eidem limites poni vrgeant, rationes meridiano ſole clariores, eaeque ſat graues, adduci poſſint. Vnde efficitur, quoad aperta demonſtratione & argumentorum ponderibus contrarium euictum non fuerit, *ſenſu corruptionis* indefinite negato, corruptionem *omnem*, ſaltem quae defunctorum corporum eſſe poteſt, atque adeo eius etiam *initium*, negatum cenſeri debere.

Quod Philoſophos inter *Io. Claubergius* monuit Oper. Philoſ. p. 853. *ne verba alicuius orationis facile reſtringantur, ſi latiorem eius ſignificationem profunda auctoris ſapientia concedat, nec aliae interpretandi leges abnuant:* illud in ſacrorum librorum interpretatione vel maxime obſeruari debere, vix interpretum quisquam melioris notae eſt, qui dubitet. Hinc illa ſacrae praeſertim exegeſeos praecepta nullibi non obuia: Terminos atque propoſitiones ſcripturae ſacrae ea omnia actu ſignificare, quae in ſuo nexu poſſunt ſignificare; Vela ſenſui diuinorum ſcriptorum laxanda eſſe, quousque Spiritus ſanctus non reſtringit; Tantam vnicuique ſcripturae loco tribuendam eſſe amplitudinem atque emphaſin quanta poteſt, ne ſine ratione ſcripturae vim imminua,

mus &c. Conſule ſis *Io. Iac. Rambachii* Inſtit. hermen. lib. II. cap. VII. §. XVI. p. 293. ſeq. & M. *Hartm. Bambamii* Apparat. Enthymematico-Exeget. part. I. p. 35. ſeqq. Sect. I. cap. I. reg. XX. quosque illi laudant *Dannhauerос*, *Schmidios*, *Pfeifferos*, *Reinhardos*, & fere quotquot de exegeſi ſacra praeceperunt. Abuſum nunc equidem non moramur Cocceianorum, moniti ad rei naturam, ſcopum & nexum orationis, & quae circumſtant, ſimul reſpicere, vt, quid *per illa* ſignificare biblica vox aut phraſis poſſit, iſtud demum actu ſignificare exiſtimetur. Conf. *Rambach.* d. l. & lib. I. cap. III. §. IV. p. 57. nec non *Io. Georg. zur Linden* Rat. meditat. hermen. cap. III. ſect. II. §. 722. pag. 302. Quibus obſeruatis patebit, abuſum, non vſum regulae ferire, quae in eandem monita ſunt cel. *Iac. Infantio* Introduct. in N. T. verſioni eiusdem Gallicae praemiſſa, p. 67. translationis German. 1730. ſeparatim editae. Vt negamus igitur, per hanc regulam voce שרת h. l. vel foueam vel corruptionem aliam, quam quae defunctorum corporum eſſe poteſt aut ſolet, intelligi debere, quum foueae notationem nec veritas hiſtoriae nec interpretatio apoſtolica admittat, & ad corpus Chriſti iam crucis ſupplicio exſtinctum conditumque ſepulcro orationis nexus omnis reſpicere iubeat, ne forte in antiquatas Phtartolatrarum, quos vocabant, & Aphthartodocitarum lites incidamus: ita viciſſim peccatur in regulam, vim phraſis & emphaſin imminuendo, niſi aut corruptionis etiam initium a corpore Meſſiae abfuturum indicari exiſtimemus, aut non abfuiſſe, neque per hoc oraculum abeſſe debuiſſe, inuictis rationibus demonſtratum fuerit. Num vero ſint eiusmodi, quae monitor anonymus erudite in medium protulit, noſtrum erit, parte huius ſcriptionis altera iudicium ferre.

§. IIX.

Tum vero & emphasis in phrasi sacra non praetermittenda est, qua plus est, *nec vidisse corruptionem*, quam quod simpliciter *non corrumpi* dicitur. Longius enim, vel hoc ipso, quidquid cogitari posset in exanimo corpore mutationis destructiuae, a subiecto sermonis Dauidici remoueri, ni fallor, manifestum est. Vt iam nihil dicamus de tropo vim orationi cuique maiorem conciliante, non temere in superfluis habendam sacrorum interpreti.

Quod si verum etenim *Io. Clericus* scripsit, Art. Crit. part. II. sect. I. cap. XVI. p. 322. *ad mouendos audientium & legentium adfectus inuenta est non* tropica *modo, sed & figurata oratio, vt notio aut viuidior aut elegantior, aut amplior in illorum mente excitetur*: tum in stili praesertim sacri elocutionibus impropriis, figuratisue, non ornatus solum, sed & euidentiae atque significatus (ceteris paribus) amplioris, ratio habenda est. Ἐμφατικώτερον, igitur, quod per metaphoram dicitur ἰδεῖν διαφθοράν quam simplex διαφθείρεσθαι: quemadmodum, verbi gratia, *gustare mortem*, pro, *mori*; *videre bonum*, pro *experiri*; *aperire intellectum*, pro, *docere aut instruere*; *accendi ira*, pro, *irasci*, quibus sexcenta addi possent alia, eodem, si rem spectes, sensu, significantius tamen, dici, nemo facile dubitauerit. Fac tamen, ornatus saltem caussa, in oratione praesertim vaticina, eademque poetica, quod proprie dici poterat, per tropum efferri, vt nihil inde ad sensum ἐνεργειας accedat: At, ego si quid adhuc iudico, in negatiua saltem propositione, qua pro ὃ διεφθάρη, οὐκ εἶδε διαφθοράν dicitur, negare emphasin, est vim vocum, vel sponte oblatam, non adsequi, dicam? an infringere aut eneruare. Longius nimirum ea a no-

nobis abeſſe ſignificamus, quae ne vidiſſe nos quidem oculis aſſeueramus. Sic, qui *vidiſſe ſomnum oculos* negat, ſomnum omnem abfuiſſe prorſus, inſinuat. Cohel. IIX. 16. plane vt eſt in *Terentio*, Heautontim. Act. III. ſc. I. *Somnum hac nocte oculis non vidi meis*; & mali nihil omnino metuens, *luctum ſe non viſuram* myſtica Babylon gloriatur Apoc. XIIX. 7. Itemque, *bellum ne viderent*, Aegyptum contendentes Iudaei, belli incommodis omnibus vt ſe ſubtraherent, in animo habebant Ierem. XLII. 14. Conf. ib. cap. XVII. 6. 8. Eſt igitur, cur eandem vim phraſeos & in noſtro loco admitti debere, nec quidquam dubitemus, adeo corpus Meſſiae ab omni, quae morituros manet, partium diſſolutione innoxium futurum, vt ne vidiſſe quidem διαφθορὰν iure meritoque diceretur.

§. IX.

Vidit iſta ſibi opponi poſſe dubitator anonymus, quem ſi audire velimus interpretem, non videre διαφθορὰν eſt non permanere in corruptione, ſed per eandem tranſire ad ἀδιαφθορίαν. Igitur ne vim dictioni ſacrae illaturus, minuendo emphaſin, videretur, ad ſimilem phraſin οὐ μὴ θεωρεῖν θάνατον prouocat, qua idem Io. IIX. 51. ſignificari exiſtimat, quod alias μεταβαίνειν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν dicitur Io. V. 24. iterumque alia elocutione, ſenſu tamen eodem, credenti in Chriſtum promittitur: κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται Io. XI. 25. Verum enimuero non cogitabat, quisquis ille fuerit, vir doctus, ex conſenſione interpretum plerorumque omnium, & rei ipſius natura, *mortem* non temporariam aut corporis tantum, ſed *aeternam*, quae corporis ſimul & animi eſt, eam eſſe, quam non viſuros pollicetur Ieſus,

quot-

quotquot verbum ſuum ſeruauerint: ac praeterea, ſi vel maxime mors corporis intelligenda fuerit, limitatione tamen addita: εἰς τὸν αἰῶνα, dubium omne prorſus tolli: qualem in noſtro loco, per hoc vnum mirum quantum diſſimili, vt libenter legeret, fruſtra tamen vsque inquiſiverit.

Verba dabimus auctoris ex pag. 559. ſeq. Daß aber die Redens-Art **die Verweſung nicht ſehen**, gar füglich alſo könne erkläret werden (nempe vt modo ante interpretatus fuerat: Er habe die Verweſung nicht geſehen finaliter alſo, daß er in der Verweſung geblieben) beweiſe ich aus Ioh. VIII. 51. Warlich, warlich ich ſage euch, wer mein Wort wird halten, **der wird den Tod nicht ſehen ewiglich**. Dieſes erkläret der Herr Chriſtus Ioh. V. 24. Wer mein Wort hält, und gläubet dem, der mich geſandt hat, der hat das ewige Leben, und kommt nicht in das Gericht, ſondern er iſt **vom Tode zum Leben hindurchgedrungen**. Ingleichem Ioh. XI. 25. Wer an mich gläubet, der wird **leben, ob er gleich ſtürbe**. Wäre alſo die eigentliche Meynung des Heil. Geiſtes Act. II. 27. Du wirſt nicht zugeben, daß dein Heiliger die Verweſung ſehe, dieſe: du wirſt nicht zugeben, **daß dein Heiliger in der Verweſung bleibe**; ſondern er wird **von der Verweſung zum unvergänglichen Weſen hindurch dringen**, er wird unverweßlich ſeyn ob er gleich verweſet ꝛc. In quibus equidem nec ingenium auctor, nec iudicium omne a ſe deſiderari paſſus eſt: Attamen, ſi quod res eſt, dicendum, vereor, vt adhuc ipſi placeant, rem ſi paullo curatius reuocauerit ad animum. Quodſi mortem enim, quae *ſecunda* ſtilo Apocalypſeos dicitur, id eſt, damnationem aeternam, optimo Saluatori hic θανάτου nomine venire, ſumamus, perinde vt Rom. VI. 23. Hebr. II. 15. &c. quo ſenſu & ἀποθανεῖν dicuntur Io. VI. 50. Rom. IIX. 13. qui

ſem-

ſempiterno pereunt ſupplicio: tum facile nobis ipſe conceſſerit, illud ὁ μὴ θεωρεῖν plena emphaſi idem in verbis Ieſu ſignificare, quod hoc loco per μὴ ἰδεῖν indicari volumus: nihil quidquam mortis experturos, a reatu omni & ſenſu ſuppliciorum infernalium prorſus immunes praeſtitum iri, quotquot verbis eius fide atque obſequio conſtanti ſint inhaeſuri. At ita de ſenſu eloquii illuſtris ſentire interpretes tantum non omnes, ignorare vir doctus non potuit. Vid. ſis *Mich. Waltheri* Harm. Script. ſacr. §. 189. p. 484. *Prückner.* Vindic. p. 642. *Chriſt. Niſanii* Comment. in Ioh. p. 499. ubi obſeruatum, & *Auguſtino* interprete Tract. XLIII. in Ioh. Chriſtum intelligere *mortem aeternam*, *mortem gehennarum*, *mortem damnationis*. Add. *I. Mich. Langii* Diſſert. ſing. cui tit. Antidotum mortis §. XIX. p. 14. 15. ibidemque pro eadem ſententia allegatos *Glaſſium*, *Althoferum*, *Hackſpanium*, immo commentatores fere quoscunque. Interim *Euthymium* monuiſſe, poſſe certo ſenſu etiam de morte corporis intelligi, *Frid. Ad. Lampius* adnotauit Comment. in Ioh. ad h. l. not. g. Et, quem ex Relat. innoc. 1712. p. 768. ibid. laudat, b. *Lutherum* conſtat, tum in citatis ab eo locis, tum alibi ita in h. l. commentatum eſſe, vt mortem corporis vel maxime etiam reſpexerit, eo ſenſu, vt terrores eius, vim, amarorem, non experti, vix vidiſſe mortem dicendi ſint. Vid. eius Poſtill. publ. & priuat. Domin. Iudica, nec non Tom. IIX. Altenb. f. 554. 555. 556. quibus ipſis tamen locis mortem ſpiritualem atque aeternam ſimul includi, videris, neque in ea fuiſſe megalandrum opinione, vt μὴ θεωρεῖν θάνατον, crediderit, per ſe idem eſſe, ac, *non videre perpetuo*, *non manere in morte*: quod ipſum nili noſter adſumſerit anonymus, nihil ſe pro illuſtranda phraſi μὴ ἰδεῖν διαφθορὰν attuliſſe facile deprehenderit. Habet enim ibi reſtrictionem a Spiritu ſancto expreſſe additam εἰς τὸν αἰῶνα, qua, poſito etiam, mortem corporis

ris intelligi, significatur, non negari simpliciter, mortem visuros Christi discipulos, sed *in perpetuum visuros* negari. Qualem si hoc nostro loco, vbi non expressa, subintellectam tamen velit, & pro phrasi illustranda, & pro re ipsa demonstranda, certiora aliunde adferri, iure meritoque postulabitur.

§. X.

Sed & maius insuper oritur incommodum argumentatione Apostolica in consilium adhibita. Nimirum, si *non permansurum* saltem in corruptione Messiæ corpus esse, vel, quod idem est, non visurum eam *in perpetuum*, verum per ipsam διαφθορὰν ad ἀφθαρσίαν transiturum, vates praedixerit: tum idem verum esse de piis hominibus quibuscumque, mortem aeque ac corruptionem experturis, fatendum est. Nam & illos credimus per διαφθορὰν ad ἀφθαρσίαν, perinde ac per mortem ad immortalis vitae conditionem transituros. Idque auctore credimus Apostolo 1. Cor. XV. 53. Et tamen de Dauide illud ἓν ἰδεῖν διαφθορὰν, eo sensu, quem Spiritus sanctus voluit, expresse negant Apostoli, de solo Iesu intelligendum. Consequitur hinc, neruum omnem infringi collectionis Apostolicae, nisi ἓν ἰδεῖν διαφθορὰν ex intentione Spiritus sancti plus esse dicatur, quam non videre perpetuo corruptionem, aut in eadem non permanere.

Equidem non dubitauerim, hoc vnum si in mentem veniisset perito dubiorum auctori, heic reperturum illum fuisse, quod ab ineunda noua interpretandi ratione penitus animum absterreret suum. Nec diffitebitur etenim, pro eo, quod in fidei analogiam diuinorum-

que auctoritatem ſcriptorum profitetur, ſtudio, falſam eſſe quamcumque interpretationem, qua vis elidatur demonſtrationis Apoſtolicæ, Ieſum eſſe Meſſiam, ex hoc oraculo Dauidico fortiter adſtruentis. Quemadmodum ob eandem rationem orthodoxi eam repudiant, ceu Iudaeam aut ſemi-iudaeam, quae literalem quendam ſenſum de Dauide concedit. Nititur quippe, quod nemo non videt, virtus omnis demonſtrationis anti-iudaicae hoc vno, vt ſenſus oraculi ſit talis, quo nec in Dauide, nec vllo mortalium, niſi ſolo Meſsia, illud impletum eſſe aut implendum, dici posſit. Vt fieri igitur vix potuiſſet, poſito, literali ſenſu, atque ex intentione ſancti Spiritus, de Dauide agi, e calamitatibus eripiendo, quin ad hunc ſenſum ſcopumque vaticinii prouocarent verpi increduli, falſique poſtularent Apoſtolos, contendentes, de Dauide, quae praedicta fuerant, intelligi non poſſe: Sic iisdem fruſtra id oraculi, tanquam in ſolo Ieſu impletum, inculcaſſent doctores, ſi, quem vates innuit, ſanctum Iehouae, in corruptione ſaltem non permanſurum, praedixiſſet. Quidni enim implendum illud adhuc in Dauide oppoſuiſſent, ſaltem qui Sadducaea impietate non imbuti, reſurrectionem vel omnium, vel bonorum certe, olim futuram, non dubitabant, qua facta, corpora ſanctorum in pulverem ſuum non reditura, Rabbini etiam recentiores docent, *R. Saadia* teſte, apud *Theod. Daſſouium* Diatrib. de Iudaeorum de reſurrect. mortuorum ſententia Cap. IV. §. 4. qui tamen de quorundam etiam diſſenſu monuit.

§. XI.

Adhuc igitur nobis ſtat ſententia, veterum Theologorum conſenſu munita, nihil expertum corruptionis credi debere, quem non viſurum שחת diuinus vates

tes praedixerat. Restat, vt ad alterum illud, quod nobis propositum est, (§. IV.) pedem promoueamus, consideraturi, quae diuinae οἰκονομίας consiliique in eo ratio versetur, per *negatam permissionem diuinam*, eamque in *personae* τοῦ חסיד *dignitate* fundatam, subindicata.

Consensum non dissimulat orthodoxorum, quocum agimus, obseruator anonymus, scribens: **Es *statuiren* bekannter massen alle *Theologi*, der Herr Christus sey nach seinem Tode im Grabe gar nicht verweset, auch sey das Blut desselben unverweßlich gewesen, und wäre die Verwesung desselben, wegen der in ihm wohnenden Fülle der Gottheit, unmöglich gewesen. Die loca Ps. XVI. 10. Act. II. 27. scheinen solches primo intuitu deutlich zu bestärcken. c. l. p. 554.** Et ita omnino ex nostratium Theologorum mente auctor Programmatis Pasch. Hal. 1729. verba nostra μεταφράζει: *neque expositurus, seu permissurus eum, quem benignitate prosequeris, vt corpore putrefacto videat corruptionem eiusque* VEL INITIA *experiatur:* & iam olim ex instituto *Io. Adamus Osiander*, tanquam contra auctorem nostrum sententiam dicturus, Coll. Theol. system. Part. IV. p. 193. scripsit: *Omnem corruptionem negari de Christi carne: ergo &* INITIALEM, *non solum* DESTRVCTIVAM VLTIMATAM, contra *Theod. Bezam* disputans, non dubitantem (cum quibusdam aliis Pontificiis aeque ac Caluinianis, quibus e Socini grege accedit *Wolzogenius*, & ex Reformatis recentioribus *Io. Iac. Huldricus* notatus auctoribus Continuat. Collect. antiquo-nouor. theol. 1728. p. 176.) Christi corpus post excessum e vita *cadauer* adpellare; a qua nomenclatione, patrum forte vni & alteri, nominatim *Chrysostomo* atque *Theophylacto*, & e nostris (saltem si fides sit *Christoph. Massonio*, allegantiAnatom. vniuers. triumph.

Part. III. Cap. IV. p. 69. seq.) *Ioanni Schütz*, *Esaiae Silberschlag*, *Felici Bidembachio*, *Iac. Martini* & *Matth. Flacio*, occasione loci Matth. XXIV. 28. innoxie adhibita, plerique tamen nostrates vel ideo constanter abhorruerunt, quod, ex vsu saltem, cadauer de corpore aut insepulto, aut certe putrefactioni obnoxio, dici consueuerit. Nam & *Seruium* monuisse constat, *cadauer dici, quod careat honore sepulturae*, ad Lib. IIX. Aeneid. p. 508. & *Isidorus* hoc modo cadauer a funere distinguit Lib. XI. orig. cap. 3. *Omnis mortuus*, inquiens, *aut funus est, aut cadauer. Funus est, si sepeliatur, cadauer est, si insepultum iacet.* Et ipse *Beza*, vtut inscitiæ accusans, editione Commentar. in N. T. postrema, qui nomine cadaueris offendantur, contra *Castellionem* tamen *cadaueris nomen ne mortuo quidem Christi corpori satis conuenire* fassus est, teste, quem modo nuncupauimus, *Massonio* ibid. pag. 70. Quamvis verum sit, quod recte & *Tertullianus* Lib. de resurr. carn. C. XXIIX. p. 57. & ad Matth. XXIV. *Hieronymus* monuit, quibus accedunt *Isidor.* l. c. & *Seruius* ad lib. V. Aeneid. v. 581. a *cadendo* cadauer dici, plane vt Graecorum πτῶμα ἀπὸ τοῦ πίπτειν, itemque a נפל Hebraeorum נֵפֶלֶת deriuatur: & vicissim, quam ex quodam vocabulario antiquo nonnulli proferunt, lepidam magis quam veram etymologiam, qua *cadauer* sit quasi *caro data vermibus*, merito repudiauerit *Casp. Sagittarius* ad Sulpic. epist. Consol. ad Ciceron. p. 40. & *Io. Henricus Alstedius* Lexic. Theol. cap. XIX. art. I. fin. Euoluendi, si quis in hanc rem plura desideret, post *Theologos Hasso-Darmstadtinos* in Deduct. fundament. contra Cassellanos p. 165. seqq. & ibidem allegatos p. 167. *Damascenum*, *Gesnerum*, *Zehnerum*, *Dietericum*, etiam *Io. Gerhardus* Conf. Cathol. Lib. II. spec. Part. I. append. articuli II. p. m. 403. nec non in annotationibus ad Matth. XXIV. 28. & Act. II. 27. *Aug. Varenius*

nius Breu. Theol. p. 51. seqq. *Io. Ad. Osiander* d. l. p. 192. 193. *Io. Adam. Scherzerus* Coll. Anti Soc. Disp. CXII. p. 911. (edit. primae) & Disp. CXV. p. 935. *Abr. Calouius* Diss. de fluxu sanguinis & aquae Christi laterali §. XXXIIX. quibus accedit *Theophilus Alethaeus* in der gründlichen Erläuterung der dunckelsten Oerter ꝛc. 1. Versuch p. 32. seqq. not. (a) Tum vero nec ea de consensu doctorum nos dubitare sinunt, quae de sanguine Christi corruptionis omnis experte aduersus Reformatorum nonnullos disputata sunt passim Theologis orthodoxis, e quorum numero *Schroederum*, *Thummium*, *Gerhardum*, *Theologos Hassiacos*, *Dannhauerum*, *Dorscheum*, *Meisnerum*, *Calouium*, *Loescherum* excitauit cel. *Christ. Matth. Pfaffius* de impersonalitate. & perpetuitate hum. Chr. naturae, lib. sing. ad §. XI. not. (i) pag. 59. 60. quibus addo *Aeg. Hunnium* de coena Domini Cap. XIV. Tom. I. Opp. lat. p. 1181. seq. *Io. Ad. Scherzerum* Coll. Anticalu. append. quaest. II. p. 684. seqq. *Hieron. Kromayer.* Theol. posit. polem. part. I. p. 960. seq. & *Casp. Herm. Sandhagen* in Cogitatis ad difficil. S. S. oracula, vernaculo idiomate editis p. 466. E Pontificiis *Iac. Boilaeum* Pfaffius allegat, itemque e Reformatis *Rich. Montacutium*, cui *Christoph. Massonium* iungere licet c. l. p. 73. socios tamen excusantem, non sine censura in nostros iniquiore. Sed & *Io. Caluino* iudice (qui sanguinem computruisse affirmantibus iungitur, renitente *Massonio* p. 71.) Christus *immunis ab omni putredine, corpus recepit*, Instit. rel. Christ. Lib. III. C. XXV. f. m. 328. b. Quod ad veteres attinet ecclesiae Doctores, equidem eorum nonnullos, incommode locutos pro absentia sanguinis Christi in sacra coena statuminanda, sibi asserere voluit *Petr. Allixius* Diss. de sanguine Christi, & ad *Augustinum* praecipue se recepit, tanquam vel dubitantem vel negantem sanguinem in resurrectione reassumtum: sed is tamen expresse Ep. CXLVI. ad

Crescentium, post propositam de sanguine & humoribus dubitationem, haec subiicit: *Sed quodlibet quisque addat, corruptionem addere caueat, ne suae fidei sanitatem castitatemque corrumpat.* Tom. II. Opp. edit. Paris. 1541. fol. 140. Vid. plura contra Allixium disputantem *Boilaeum* Disquis. Theol. de sanguine corporis Christi post resurrect. ad epist. 146. Augustini (Paris. 1681.). *Gregorium Nyssenum, Athanasium, Damascenum, Leonem M.* ipsumque *Augustinum* pro ἀφθαρσία sanguinis Christi aduersus Reformatos *Scherzerus* laudat d. l. *Athanasii* haec sunt lib. de incarn. verbi scripta (indice *Aeg. Hunnio* Tom. I. Opp. p. 178.) *Corpus, quod communem cum omnibus naturam habebat, (corpus enim erat humanum,) quanquam nouo miraculo ex virgine coaluerat; mortale tamen erat, & ad similitudinem sui generis mortem excepit. Neque tamen secundum naturam suam ob verbi diuini ingressum corrumpebatur, sed* PROPTER INHABITANS DEI VERBVM EXPERS ERAT CORRVPTIONIS. *Vtrumque in eodem esse contigit, mirabili prorsus ratione: cum & mors in Dominico corpore vim suam exercuerit, & mors ac corruptela inde ob domicilium ibi numinis profligata sit.* Profligatam dicit & mortem & corruptelam, non, quod vtramque prius expertus fuerit, nam diserte non corruptelam, sed *mortem* ait in corpore Iesu *vim exercuisse*, & vicissim illud non mortis *expers*, sed *corruptionis* adfirmat. Iterumque paullo post addit: *Quapropter etsi mortuus sit ad omnium redemtionem, non tamen corruptionem vidit. Cum omni enim integritate resurrexit.* Neque aliter auctor libri de virg. qui inter *Ambrosii* opera exstat lib. 3. *Quomodo enim poterat*, inquit, *vel in carne marcescere, cuius nomen vnguentum exinanitum est?* quidquid sit de ratione addita. At nobis ista pro consensu veterum allegasse sufficiat, ad alia iam non impedito gradu profecturis, & illud praesertim

tim in hac cauſſa fere praecipuum momentum, quo via nobis parabitur iis remouendis, quae ex analogia fidei auctor anonymus communiori ſententiae opponi poſſe exiſtimauit.

§. XII.

Et *negatam* quidem *diuinam permiſſionem* verba לא תתן ſatis aperte loquuntur: ſiue ſimpliciter, *permittendi* ſignificatu, illud תתן ad infinitiuum לראות referas, ſiue ad nomen חסידיך, tanquam ab eo rectum, pertinere iudicaueris, q. d. *non traditurus es* ſanctum tuum, *non expoſiturus*, vt corruptioni fiat obnoxius. Quod vtrumque etiam, praeter hebraismi ſuſpicionem, in Graeco δίδόναι habere locum poteſt: quo & LXX. interpretes, & vterque Apoſtolus vſi ſunt, illud תתן expreſſuri. Prius tamen, quo ſimplicius, eo ſimilius vero, quod & *Luthero* viſum, & interpretum plerisque. Ceterum, quem alloquitur, ſummum *Deum* eſſe, vt ἐξαγώνιον: ſic ſigillatim perſonam *Patris* reſpici, Filio redemptore per Dauidem verba faciente, nemini orthodoxo dubium. Per rationes igitur *diuini* conſilii fieri potuiſſe negatur, vt caro ſanctiſſimi noxam putredinis experiretur.

Tranſeat ἀσύνδετον in particula negatiua לא obſeruatum, cui δὲ, copula expreſſa, ſubſtituunt LXX. & Petrus Act. II. 27. Hebraeum נתן pro conceſſione aut permiſſione poni, res notiſſima. Vid. praeter Lexicographos *Glaſſium* Lib. III. Tract. III. Can. XI. not. p. 774. Graecum δίδόναι eodem ſenſu ſcriptoribus externis adhiberi, exemplis docuerunt *Conr. Rittershuſius* ICtus ad Oppiani Cyneget. non longe poſt init. & noſter S. Rev.

Georg.

Georg. Raphelius ex Xenophonte p. 149. nec non *Christ. Sig. Georgius* in Vindiciis N. T. p. 99. sic *Aeschylus* in Choëphor. princip. ὦ ζεῦς δός με τίσασθαι μόρον πατρός. *O Iupiter, fac me fatum patris vlciſci.* Taceo phraſin notiſſimam δός μοι, δὸς ἡμῖν, de qua *Io. Frid. Hombergk* Parerg. ſacr. ad Marc. X. 37. pag. 102. *Raphel.* l. c. p. 73. ſeq. *Erasm. Schmid.* ad Marc. c. l. & *Henr. Stephanus* Theſaur. Gr. L. Tom. I. col. 989. vbi tamen ἐξουσίαν vel δύναμιν, aut ſimile quid ſubintelligi me non inuito dixeris, vt de ſimili phraſi *Heliodori*: ἐπειδὴ καὶ μοὶ λόγῳ μετεδεδώκατε, monuit cl. *Chr. Schoetgenius* ad *Lamb. Bos* Ellipſ. Graec. p. 66. n. (b) Nec mirum igitur cum Luthero hic eandem verbi notionem expreſſiſſe turbam interpretum. Attamen *tradendi* ſignificatu paraphraſta *Chaldaeus* & *Aethiops* expreſſerunt: & *Aug. Herm. Franckius* Introd. in Pſalterium poſthuma p. 121. reddit: *neque expoſiturus (es) eum, quem benignitate proſequeris, vt videat corruptionem*; Cui prorſus gemina paraphraſis in Programmate Halenſi ad §. praecedentem allegato. Et ſic interpretantem audiuimus (§. V.) *Ioſ. Athiam*: Du ſolſt nit überantwort deine Biderleut, die Verderbung zu ſehen. Et verum eſt, vtrumque, & Hebraeum & Graecum vocabulum, *tradendi* ſignificatu non infrequens eſſe. Vid. Leu. XXVI. 25. Eſr. IX. 7. Ier. XXXIIX. 3. 2. Cor. IIX. 5. Gal. I. 4. Tit. II. 14. &c. Quamuis de conſtructione cum infinitiuo ſcrupulus relinquatur, cuius adhuc exempla deſideramus. Res interim vtrobique eadem. Vt nihil non rerum, quae ſub ſole fiunt, diuino conſilio regitur, & ſpecialiſſima prouidi numinis cura circa paſſiones Chriſti meritorias, mortemque & reſurrectionem, occupata fuit Act. II. 23. IV. 28. quod & Pſaltes innuit verſibus I. V. & IIX. huiusmet ſacri cantici: ſic carnem quoque ſepulcro conditam, a corruptionis noxa ſecuram (v. IX.) *non ſine diuino conſilio* praeſtitum iri,

iri, illud לא תתן significare debebat. Quem non permissurum enim carnis suae διαφθορὰν confidit, summus Deus est, essentialibus nominibus diuinis, יהוה, אל, atque אדני compellatus, comm. 1. 2. 5. 7. 8. Neque tamen essentialiter hic aut indefinite poni ea diuina nomina, sed ad personam Patris adstricte referri, res ipsa loquitur, quum necesse sit, precantem ab eo, quem adgreditur supplex, ὑποταάσει differre. At precantem hic nouimus esse Christum mediatorem, non qua diuinam equidem, sed humanam naturam, in statu κενώσεως constitutam, ita tamen, vt persona preces fundens non nudus homo, sed verus Dei filius sit, per κοινοποίησιν ex arctissima naturarum coniunctione oriundam. Quamuis igitur istis nominibus diuinis essentiam simul complectatur sibi communem, neque adeo semet ipsum excludat diuinitate, Patrem tamen, pro admiranda negotii redemptionis οἰκονομίᾳ praecipue respicit, &, vt vere hactenus *Ioh. Caluinus* scripsit, *in mediatoris persona loquens, medium gradum tenet inter Deum & homines, neque tamen ideo imminuitur eius maiestas.* Instit. Christ. Relig. Lib. I. Cap. XIII. §. 26. f. m. 40. a. Quam male vero (an incaute dicam) idem *Caluinus* §. 23. f. 38. a. & qui eum tuentur, in istis locutionibus aliquam Patri ἐξοχὴν tribui putarunt; tam viciſſim verum est, illud diuinum consilium, a quo nihil non seu exinanitionis seu gloriae redemtoris Iesu, & ipsa etiam corporis a corruptione innoxii praerogatiua pendebat, non Patris solius, excluso Filio, aut Spiritu sancto, sed Dei trinunius consilium esse: vt vere non minus de Filio dicatur, non permisisse eum, vt caro sua sentiret corruptionem: quemadmodum penes se situm praedicabat, & ponere vitam & eandem resumere, ac nihilominus eam se ἐντολὴν παρὰ τοῦ Πατρὸς accepisse profitebatur Io. X. 17.

§. XIII.

Istud vero diuinum consilium vt rationibus niti sanctissimis nemo pius dubitauerit: ita eas, nisi Spiritu sancto ipso ductore, frustra quis indagare in animum induxerit. Tentantibus igitur, num in textus visceribus aliquid eius reconditum sit praeter *emphaticam Messiae adpellationem*, qua חסידך ὅσιος Iehouae dicitur, nihil occurrit nobis, vel ob hanc causlam intentius considerandam, ac praeterea singulari scriptura, qua pro חסידך repetita, ante suffixum, י litera חסדיך legitur, memorabilem.

Emphatice dici *non permittes* חסידך ὅσιόν σε, pro, *non permittes me* aut *carnem meam*, non putamus cuiquam fore ambiguum. Est enim illud quidem Hebraeis familiare dicendi genus, vt loco pronominis ipsum nomen ponatur, quod an ubique vim augeat sermonis, nunc non disputabimus. Iudicet lector consideratis exemplis, apud *Geierum* h.l. *Glassium* lib. III. tr. II. can. VIII. *Danzium* Interp. Hebr. Chald. §. 207. p. 347. seq. edit. plenioris. At si ipsum consideremus hunc seruatoris titulum, & significatione, & vsu rariore eximium; tum praeter rationem aut consilium singulare eum hoc praesertim loco adhibitum fuisse, quo minus opinemur, summa scripturarum summi auctoris sapientia prohibet. Et videtur ea, vel per illam ipsam scriptionis anomaliam, de qua monuimus, aliquid in re ipsa ἐξαίρετον, rarum, singulare, notare, lecturisque pie meditandum commendare voluisse. Adeo non est, cur tantopere in hoc nodo (si modo nodus est) critico vel curiosius soluendo desudemus, vel secundum eum intempestiue meditemur, vt siue alterum, velut otiose abundans, deleri, siue pro singulari, quem textus omnino postulat,

lat, mutatis punctis, pluralis numerus ſubſtitui, & vel ad *abſurdas & monſtroſas*, quas *Cappellus* per conuitium inſigne crepat, *irregularitates*; quae in textu eſt lectio, relegari debeat. Quin potius *Sal. Glaſſio* pollicem premimus, in Onomatologia Meſſiae Prophetica Claſſ. IIX. p. 106. ſcribenti: *In Hebraeo interſeritur litera hoc modo* חסידך *quae* πλεονάζειν *vulgo putatur: ſed ad indicandam gratiae & pietatis Chriſti perfectionem (eſt enim* ך *nota numeri denarii, qui omnium perfectiſſimus) & beneficiorum in nos redundantium multitudinem fuiſſe inſertam, non abſurde ſtatuitur.* Vnum illud, quod de numero denario monuit, minus placet: quum apertius eam, quam voluit, emphaſin inferat, quod idem ך in nominibus, & ante ſuffixa praeſertim, nota ſit pluralis numeri, pluralis autem pro ſingulari poſitus rei magnitudinem atque excellentiam deſignet. vid. ipſe *Glaſſius* Philol. ſacr. Lib. III. Tract. I. Can. XXIV. de nomine p. 617. ſeqq. vbi notabis vel maxime ſapientiam hypoſtaticam Prou. I. 20. pluraliter חכמות honoris cauſſa dici, q. d. tota ſapientia & omnis ſapientiae auctor, quod ibidem ait *optime* ab *Iunio* & *Tremellio* obſeruatum eſſe. conf. *Danz.* Interp. §. 37. Vt puncta igitur ſingularem indicant, ne de alio, praeter Meſſiam, cogitemus, ſic ך pluralis numeri nota, inſerta, ἐξοχὴν infert, qua eminentiori modo illud epitheton in perſonam Meſſiae conuenire, ſubinnuatur. Ceterum τὸ קדוש hoc loco ſingularem, omiſſo ך altero, exhibere, non dememinimus, neque quo loco iſtae margini ſacrorum codicum adſcriptae adnotationes haberi debeant, nunc discutere noſtrum eſt. At cur hoc loco τὸ כתיב deſeramus, ratio non adparet, ſuadentibus licet, in Lexicis ſuis *Io. Cocceio* & *Iac. Gouſſeto*, eosdemque ſecuto in Annot. ad h. l. *Io. Henr. Michaelis*: praeſertim cum nec rara adeo aut inaudita prorſus quieſcentis literae poſt punctum etiam heterogeneum epentheſeos exempla ſint,

sint, qualia videri possunt in Litteratore Hebr. Chald. *Io. Andr. Danzii* §. 53. p. 466. seqq. & addi plura v. g. סְנוֹר Iesa. XLIV. 7. בְּטֵרוֹם Ruth. III. 14. sed &, quae huc maxime faciunt, in allegatis praecipue notari merentur epentheseos literarum ו & י post (:) exempla in מַרְוִיהֶם 2. Sam. X. 4. pro מַרְיֵהֶם &, לְדָרְוּשׁ Esr. X. 16. pro לִדְרוֹשׁ in quibus, post epenthesin literae, vocalium insuper facta permutatio deprehenditur.

§. XIV.

Igitur, vt de genuina huius tituli emphasi ex significatione vocis & vsu praesertim biblico iudicium fieri queat: primo omnium notamus, חסיד generatim eum denotare, in quo est חֶסֶד, quem אִישׁ חֶסֶד hebraeo dixeris idiotismo. Illud autem חֶסֶד vsitatissime *misericordiam* aut *benignitatem* interpretantur, quum *pietatem* vniuerse notare & *studium boni*, siue illud sit in virtute quauis, siue in beneficentia, (quod *Cocceius* monuit) vsu quorundam sacrae scripturae dictorum edoceamur. Certe חָסִיד quum ὅσιον non LXX. tantum interpretentur, sed eam translationem suam fecerint diuino instinctu Apostoli, quin, ex intentione etiam Spiritus sancti, illud *sanctum*, *pium*, *studiosum boni* cuiuscunque non minus, quam *beneficum* aut *misericordem* speciatim, nobis denotare debeat, dubium esse non potest.

Radicem חסד in Kal quidem frustra requisiueris a scritoribus sacris adhibitam. In Piel חִסֵּד *culpandi vituperandique* significatu scriptum Prou. XXV. 10. parum vtique, immo nihil confert ad notionem חסיד eruendam. Occurrit in Hitpaël תִּתְחַסַּד Ps. XIIX. 26. & 2. Sam. XXII.

XXII. 26 loco quidem gemino, ſed qui eadem nobis verba recitat; & manet obſcurum, num *benignum* potius an *ſanctum ſe gerere* ſignificare debeat, quum vtrumque & ſenſum pariat ſatis commodum, & non male coniungi poſſit. Vide ſis *Lutherum* ex poſteriore ſignificatu interpretantem Tom. V. Altenb. 466. a. & eius vindicias aduerſus *Io. Buxtorffii* cenſuram, in *Frid. Strunzii* Diſp. cuit. Electio ex libro collectionum *Io. Buxtorffii* §. IV. p. 13. ſeqq. Requirendus igitur tum vocis חָסָד tum חֶסֶד parallelismus erat: quo obſeruato חָסָד plerumque *miſericordiam*, *benignitatem* ſignificare, interdum tamen generaliori notione poſitum occurrere, vt *morum probitatem*, *ſtudiumque boni* cuiuscunque denotet, docti interpretes monuerunt. vid. *Cocceium* in Lexic. & ad Pſalm. IV. 4. Tom. II. Operum p. 19. nec non ad vltima Moſis §. 1613. Tom. I. Op. p. 119. *Geier.* ad Prou. XIX. 22. *Vitringa* ad Ieſa. XL. 6. p. 362. & commentatores ad Ier. II. 2. Hoſ. VI. 4. itemque Ion. II. 9. Taceo, generalius adhuc *ſummum rei gradum*, περισσείαν aut *exceſſum boni* vel *mali*, ſecundum quosdam, voce חָסָד notari. vid. *Ed. Pokokius* in notis ad portam Moſis Maim. p. 20. & *Io. Henr. Hottingerus* in Hiſt. creat. p. 15. Quorſum referunt Ieſa. XL. 6. vbi tamen *decorem* aut *gratiam* alii malunt ſignificari, alii *ſanctitatem* aut *pietatem*, ſaltem externam illam & hypocriticam, quae τῷ בשר conueniat. Hinc Graeci fere plerumque ἔλεος, nonnunquam tamen δικαιοσύνην vertunt, & interdum χάριν. Vid. *Leighii* Crit. S. h. voce, in plurali חֲסָדִים τὰ ὅσια. Quin Hoſ. c. l. μεταμέλειαν *Theodoretus* reddit *Io. Marckio* adnotante, ad ſenſum forte magis, quam natiuam vocabuli vim reſpiciens. Ex his pronum erit de ſignificatu vocis חסד ferre arbitrium. Ineſt nimirum & huic vocabulo notio *inclinationis ad benigne & decenter agendum in vſum aut iuſſum alterius*, vt bene & perſpicue monuit *I. Henr. Hottingerus* ad Goodwinum Lib. I. Cap. IX. not. (1) p.

168. Neque aliter *Cocceius* ad vlt. Mosis indic. loco. *Omne, quod fas, quod purum, quod decorum conscientia proponit, hoc amare, hoc conari, & alteri velle, & enixe procurare est* Chesed, *&, qui hoc agit,* Chasid *dicitur.* Vnde LXX. seniorum versio & hoc nostro loco, & fere vbiuis, ὅσιον exhibet (quod καθαρὸν & ἁγνὸν *Hesychius* interpretatur, & *Syrus* Hebr. VII. 26. per דכיא *purus* expressit) sed Prou. II. 8. חסידיו eodem sensu εὐλαβουμένων αὐτὸν vertunt, iterumque Mich. VII. 2. εὐλαβὴς (εὐσεβὴς) & verbum התחסד Ps. XIIX. 26. per ὁσιωθήσῃ efferunt. *Chaldaeus* etiam h. l. חסידך per זכאך reddit, quod est a זכא *fuit mundus, immaculatus,* indice *Glassio* Onomatol. Mess. Proph. c. l. Et hos omnes duces habuit *Lutherus* toties per vernaculum **Heilig** exprimens, quod in Hebraeo חסיד dicitur, idque & hoc praesertim loco: **Dein Heiliger.** Interdum etiam per **Fromm,** sensu eodem. Quo ipso tamen, quem Graeci ἀγαθὸν aut χρηστὸν adpellant, τὸν σφόδρα πρὸς ἔλεον ῥέποντα *Suida* interprete significatu quodam specialiori חסיד dici, non negamus, & eo respicere, praesertim de *Deo* adhibitum, vt est Ierem. III. 12. vbi Chald. מְסַגֵּי לְמֶעְבַּד טָבְוָן אֲנָא *multiplicans facere bonitates ego.* Ex quo omnium consensu *ciconia* חֲסִידָה nomen habet, *pietaticultrix Publio* dicta, propter στοργὴν singularem, de qua *Plinius* atque *Solinus* apud *Bochartum* Hieroz. Part. II. Lib. II. Cap. XXIX. p. 327. seqq. Neque adeo inter חסיד & צדיק discrimen nullum est, quod adparet ex Ps. CXLV. 17. quamuis illa, quae sequioribus seculis inter צדיקים & ישרים חסידים distinctio increbuit, verpis relinquenda, e sacra scriptura exulet (de qua in *Pirke Avoth* cap. V. §. 10. & *Kimchi* ad Ps. CIII. 17. itemque *Bartenor.* & *Maimon.* ad Cap. Patr. Cap. II. §. 8. add. *Io. Drusium* in Trihær. ref. p. 4. seqq. 168. seq. & 445. *Th. Gataker.* in Cinno p. 267. *Goodwin.* & *Hottinger.* c. l. not. 1. & 2.) & ipse, qui adhuc penes Iudaeos exstat liber, חסידים inscriptus, pietatis consilia

empla ſanctorum hominum generatim complectatur, de quo ven. *Io. Chr. Wolfius* Biblioth. Hebr. Vol. I. p. 427. vt vix illud diſcriminis Paulo Rom. V. 7. in mente fuiſſe viri licet doctiſſimi nobis perſuaſerint: quibus & *Schoettgenius* acceſſit, in Horis ad ill. loc. Praeter *actiuam* vero, quam adhuc commemorauimus, τοῦ חסד ſignificationem, plerosque & *paſſiuam* agnoſcere videas, qua חסד, vbi de hominibus dicitur, ad Deum praeſertim relatum, *beneficiarium* notet, κεχαριτωμένον, *cui Deus bene vult & benefacit*. Vid. *Schindler*. Lexic. Pentagl. p. 618. *Nic. Fuller*. Miſcell. Lib. I. Cap. IIX. *Glaſſ*. c. l. Quibus repugnat *Cocceius* citatis locis, & mauult, etiam quando ad Deum refertur, actiue ſumi, pro eo, qui ſtudioſus Dei eſt, qui, quod eſt rectum in oculis Dei, enixe vult & facit. Si rem ipſam ſpectes, quum fauorem Dei gratuitum & benignitatem ſummam nemo non pius experiatur, non repugnaueris valde vtramque, & actiuam & paſſiuam, ſignificationem coniungentibus: quod facit *Geierus* in Comment. ad Pſalm. IV. 4. XII. 2. XIIX. 26. XXX. 5. Plura ſi quis deſideret, adeat Lexicographos, nominatim *Chriſt. Stockii* Clau. ling. ſanctae V. T. &, quam non vidimus, *Frid. Strunzii* ſingularem de חסד Diſputationem. Addi poterit etiam *Friſchmuth*. Diſſ. in h. l. cap. I. §. XIX. XX. XXI.

§. XV.

Porro, vt in Meſſiam vel maxime, & cum ἐξοχῇ prorſus ſingulari illud epitheton conueniat, antequam conſideremus, eſt, quod obſerues, illud ipſum חסד, praeterquam, quod nunc Deo, nunc hominibus, perinde ac eidem reſpondens graecum ὅσιος, paſſim tribuatur, ratione quadam peculiari, & velut per ἰδίωσιν, ad Aaronem, pontificem Hebraeorum maximum, &, ſe-

ſecundum quosdam, ad ſacerdotes etiam atque Leuitas quoscunque, ſanctioribus templi miniſteriis dicatos, ſtilo ſacrorum ſcriptorum referri. Fere vt ſermone nobis vernaculo *ſpirituales* (die Geiſtlichen) ſacrorum miniſtros adpellari, vſu venit, & *Sanctitatis* titulo fictitium Chriſti vicarium ſalutant pontificiae religioni addicti.

Deo quidem frequentiſſime חֶסֶד tribui, at הָסִיד duobus tantum in locis, nimirum Pſ. CXLV. 17. & Ier. III. 12. ipſum praedicari, obſeruamus. Quum התחסד verbum ſolus, de Deo ſolo, Dauides adhibuerit locis ad §. praeced. citatis. De *hominibus* vbiuis obuium, & fere ſubſtantiue, vnde ſaepius cum ſuffixis occurrit. Dabit loca in concordantiis *Io. Buxtorfius*. Sed quod de perſonis ſacris diximus, non videtur nobis praeter rem adnotaſſe *Io. Spencerus* in Diſſert. de Vrim & Thummim cap. VI. p.m. 277. ſeq. ſcribens: *Aliquando etiam vox haec adiectiui proprii vice, (vt* חכמים *olim apud Hebraeos &* σοφὸι *apud Graecos) vſurpatur; & de* Leuitis, *veluti nota propria & attributum diſtinctiuum, intelligitur. Ita Pſal. 30. 5: Pſallite Domino* חסידיו *ſancti eius, id eſt, Leuitae: penes quos erant inſtrumenta muſica, & quos ipſa muneris ſui ratio ad Dei laudes doctis cantibus celebrandas obſtrictos tenuit: & Pſal. 132. 9: Sacerdotes tui induant iuſtitiam,* וחסידיך *& Sancti tui exultent: nam eo in loco vocem Hebraeam de Leuitis interpretandam eſſe, ipſa coniunctionis illius & muneris ſibi demandati conditio, & concors interpretum ſententia docent.* Vbi quidem, quod de concordi interpretum ſententia addit, falſus fuerit *Spencerus*, ſi omnium, recentiorum praeſertim, eſſe putauerit. Diſſentientes enim, ſi quis doctorum in pſalmos enarrationes euoluerit, inueniet plurimos. Praeiuere tamen, de Leuitis interpretantes e Iudaeis *Aben Eſra*

Esra & *R. D. Kimchi.* Et omnino verum est, quod de Chaldaea Metaphrasi addit: *Atque huic interpretationi gratiam & robur addit suffragium Chaldaei Paraphrastae, qui textum illum in hunc modum explicat:* חסידיך ישבחון ולואי, *& Leuitae pii tui laudibus te celebrent.* Veruntamen e nostris etiam *Vinarienses* hanc interpretationem suam fecerunt, textum sic efferentes: **deine Heiligen (Diener die Leviten laß) sich freuen.** Forte & *Alb. Io. de Krakewitz* in Diss. ad h. l. & Iesa. LXI. 5. de sacerdotibus ac Leuitis N. T. sub antiquo foedere promissis. Et fauet omnino arcae mentio versu praecedente IIX. facta, cum respectu ad ritum, quo arca foederis eleuata transferebatur, qua in functione coniuncta sacerdotum ac Leuitarum ministeria fuisse, res notissima. Vid. *Io. Lundii* Jüdische Heiligthümer, Lib. III. Cap. XXIIX. p. 536. seqq. Ne dicamus, idem elogium commate XVI. repetitum, vbi חסידיה cum relatione ad Ziionem dicuntur, rectius forte ad aliquem sacrum ordinem a coetu distinctum pertinere credi. Quo ipso tamen, vtrobique ad sanctos N. T. generatim ex intentione Spiritus sancti vel maxime respici, non negatur. Constat enim, & sacerdotes (quos tamen hic ministrorum potius N. T. typum constitui, nonnullis placet, vid. *Io. Henr. a Seelen* Meditat. Exeget. Part. I. Medit. XIIX. p. 740.) & Leuitas omnes vmbram habuisse sanctorum noui foederis: & nihil in sacrorum vatum libris frequentius permutatione nominum typi & antitypi, quae vtique & in voce כהנים obtinet, sacro templi ministrorum ordini haud dubie propria. Iam & rationes edisserentem adpropriatae Leuitis adpellationis *Spencerum* audias: *Ideo vero nomen illud* חסידים *in peculiarem tandem tribus Leuiticae characterem transiit, eo quod titulus ille (siue actiue siue passiue vocem illam accipiamus,) iure meritoque Leuitarum praecipue capitibus assueretur. Erant enim illi a primis natalibus DEO & religioni deuota capita: illi soli fidem*

DEO datam ſumma cum religione in Aegypto ipſa (ſi Maimonidi credamus,) integram & inuiolatam ſeruarunt: & in propinquitatis, quam foederis cum DEO iniri iura peccare, potius habuere. Solis etiam Leuitis datum erat DEO appropinquare, de DEO dicatis viuere, Θεῦ κλῆρος *appellari, ſacris ſuis operari, populo poſt DEVM & Moſen imperio praeeſſe. Quae ſane ſauoris ſui pignora, quibus DEVS eos a mortalium vulgo ſecreuit, tam eximia erant & plane ſingularia, quod Chore & aſſeclae ſui in vulgus ſparſerint, & pro certo affirmarint, inſignes illas fauoris diuini teſſeras non a DEO conceſſas, ſed a Leuitis dolo malo, ex animi faſtu & fratrum faſtidio, ſibi ſolis vindicatas fuiſſe.* Verum, quidquid tandem horum ſit, (neque enim pro ea valde pugnabimus hypotheſi,) *Aaronem* certe, Chriſti, ſummi omnium ſacerdotis, typum, κατ' ἐξοχήν חסיד dictum, in vltimis Moſis, Deut. XXXIII. 8. vix vnus & alter fuerit interpretum, quin nobiscum ſentiat. Nam ibi Moſes, de tribu Leui praeclara nuntians, תֻּמֶּיךָ inquit וְאוּרֶיךָ לְאִישׁ חֲסִידֶךָ *Thummim tui & Vrim tui (ſint,* vel *erunt) viro ſancto tuo* (vel ſi mauis, cum *Cocceio:* viro *ſtudioſo tui) quem tentaſti in Maſſah, cum quo contendiſti* (al. *quem iudicaſti, contendere feciſti*) *apud aquas Meribah.* Ad *Moſen* equidem ipſum poſt *Alph. Toſtatum*, Abulenſem Epiſcopum, noſter etiam b. *Lutherus* refert, Annotat. in Deuteron. An. MDXXIV. ſcriptis, ſic παραφράζων: *Vult dicere, Sacerdotium & officium tuum ſit felix, tam orando, quam docendo, vt fuit in* MOSE *in deſerto, quem tentaſti.* Tom. III. Ien. Lat. p. 158. a. Sed eundem virum ſummum, eſt, cur ſuſpicemur, mutaſſe mentem ſuam, quum, quod ibidem vertit *ſecundum virum ſanctum tuum*, poſtea in translatione Bibliorum germanica reddiderit: **Bey deinem heiligen Manne.** Vidit haud dubie, faciliorem ſupereſſe minusque impeditam interpretandi viam, quam poſteriores interpretes

tes plerique omnes inierunt. *Caſtalionem* atque *Coccеium*, verba ſenſu literali ad *Chriſtum* pertinere contendentes, *Abr. Calouius* notauit Bibl. Illuſtr. ad h. l. Nec dubitauit, eundem Aaronis antitypum voce חסיד, ſenſu tamen non literali, ſed myſtico, indicari, *Io. Spencerus* c. l. Cap. VII. p. 320. ſeqq. aſſerens, textum hunc *in ſummo quidem benedictionem in Pontificis & Leuitarum capita effundendam exhibere: in imo vero beneficium in totum DEI Iſraëlem, mediante Meſſia, conferendum premere.* Qui tamen in eo fallitur, quod verba de tentatione in Maſſa interpoſita *ſenſum omnem, niſi Meſſiae ſoli conuenientem, plane reſpuere*, ipſi videantur. Siue enim ad Deum directa Moſis oratio videatur, contrarium docebunt interpretes, & diſerte tentationem apud aquas Meribah a Deo factam Dauides commemorat, Pſ. LXXXI. 8. ſiue ad populum de Leui verba facere dux Iſraëlitarum putetur, aut, quod velle videtur vir doctus, iſta ſaltem: *quem tentaſti in Maſſa*, ad populum dicta fuerint; Aaronem certe cum Moſe, tentationis ac litigationis murmurantium in Maſſa obiectum, poſt Deum ſatis aperte ſacra hiſtoria conſtituit, Num. XX. 2. Ceterum de myſtico ſenſu nunc non attinet dicere. Aaronem ſufficit, ſenſu literali titulo וחסיד inſigniri. Nec mirum, cum eundem קדוש יהוה Dauides Pſ. CVI. 16. & Siracides Cap. XLV. 6. ἅγιον adpellauerit, & meruerit hoc elogio ornari, *non ſolum qua officii ſanctitatem, ſed qua receptus in gratiam ſanctitati vere ſtuduit*, quae *Calouii* verba ſunt ad h. l. Neque aliter *Spencerus* ἐξοχὴν tituli Aaroni vindicans c. l. Cap. VI. p. 278. 279: *Quantum autem Tribus Leuitica ante alias, tantum & Aaron, praeceteris e domo Leuitica prognatis, hoc illuſtri titulo decorari meruit: qui eximia apud Deum gratia, ſanctitate qua morali, qua cerimoniali, priuilegiis denique plurimis, Leuitas ordinarios, quantum & illi Iſraëlitarum plebem, ſuperauit.* Conf.

huc de ſanctitate ſacerdotum V. T. cerimoniali Leuit. XXI. 6. ſeqq. & quem *Spencerus* ibid. laudat, Philonem Lib. II. de Monarch. p. 827. & 818. edit. Pariſ.

§. XVI.

At nunc emphaſin quidem vocabulo ineſſe longe maiorem, immo maximam, quando ad Chriſtum Saluatorem O. M. adplicatur, facile apud omnes in confeſſo fuerit. Cui tamen explicatius euoluendae, quae de ſignificatione & vſu vocis generatim praecepimus, apprime inſeruiunt. Scilicet pro communi ſua & magis adpellatiua ſignificatione, vox חסיד de Chriſto adhibita ad ſanctitatem *perſonae* redemtoris reſpicere iubet: tum *infinitam* illam, diuinae naturae propriam, humanae tamen etiam communicatam, tum *habitualem*, quae humanae naturae propria, ſed eadem omnibus numeris abſolutiſima praedicatur. Quod ſi vero ſimul alterum illum & magis proprium vocabuli vſum ſpectes, quo perſonae V. T. ſacrae, & maxime ſummus Hebraeorum Pontifex, eo titulo ἰδιωτέρως appellabantur; adparet, iſto ſimul *officium* mediatoris inſinuari, & *ſacerdotale* illud inprimis, quo Aaronis, illius *ſancti Iehouae*, Chriſtus ipſe, Iehoua ſanctus, antitypus eſt. Vtrobique vero etiam emphaſin auget ſuffixum ־ך (Graec. σου) additum, quo, & perſonae & muneris reſpectu, ſingulari quadam ratione ille חסיד *ad Deum pertinere* indicatur. Vnde factum, vt non ſolum in V. T. ſcriptis paſſim קדוש, & Dan. IX. 24. קדש קדשים diceretur, ſed & in N. T. ὁ ἅγιος ſimpliciter, &, cum addito, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, tanquam Meſſiae ſynonyma, occurrant.

San-

Sanctitatem in *persona* Sospitatoris geminam Theologi observare solent. *Infinitam* alteram, quae diuinae naturae est, angelorum Ies. VI. 3. praeconio celebratam, & animalium apocalypticorum Apoc. IV. 8. qua vna cum Patre & Spiritu sancto est ille Deus μόνος ὅσιος, Apoc. XV. 4. communicatam vero naturae humanae per vnionem hypostaticam, Col. II. 9. Alteram *habitualem*, quae humanae naturae propria, vi ortus singulariſſimi Luc. I. 35. qua & ab omni peccati originalis aeque ac actualis labe immunis fuit, 2. Cor. V. 21. Io. IIX. 46. 1. Pet. I. 19. II. 22. Hebr. IV. 15. VII. 26. & pietatem in DEVM exquisitissimam Io. IV. 34. V. 30. IIX. 49. Ps. XL. 10. Hebr. X. 7. Phil. II. 8. huius etiam Psalmi XVI. singulis fere versibus celebratam, studiumque bene omnibus faciendi intensissimum Io. XV. 13. 1. Io. III. 16. Act. X. 38. Matth. XX. 28. XXIII. 37. &c. cunctis probauit. Vtriusque, nil prohibet, simul rationem haberi, quando חסיד, קדוש, ἅγιος, ὅσιος, vel coniuncte etiam יעקב קדוש aut ישראל קדוש vocatur, Ies. XL. 25. Hos. XI. 9. Hab. III. 3. Ps. LXXI. 22. LXXXIX. 19. Ies. XLV. 11. XXIX. 23. Act. III. 14. IV. 27. 1. Io. II. 20. Apoc. III. 7. Conf. *Glass.* Onomat. Mess. Proph. c. l. & p. 20. & 119. & passim ad citata loca Commentatores. Neque vero inficiandus in his plerisque omnibus ad *muneris* etiam sanctitatem eminentissimam respectus: qua fit, vt pro synonymis Christi redemtoris adpellationibus istae passim vsurpentur, illum nobis animo repraesentaturae ἀρχιερέα μέγαν, ὅΟΣΙΟΝ, ἄκακον, ἀμίαντον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν γενόμενον Hebr. VII. 26. qui semet ipsum pro nobis *sanctificauit* Io. XVII. 19. & cuius ille V. T. *sanctus* typus & vmbra fuit, Hebr. V. 4. 5. IX. 11. seqq. X. 21. sacerdotium tamen eius non ex lege aut secundum ordinem Aaronis Heb. VII. 11. 15. 16. sed prioribus omnibus & sacerdotibus & sacrificiis longe maius & sanctius, quibus non poterant accedentes *sanctificari*, Hebr. X. 1. VII. 19. quum is contra vnica

oblatione perfecerit in perpetuum τὲς ἁγιαζομένες ib. v. 14. Quod si istum tamen vmbrarum veteris sacerdotii antistitem, *sanctum* non tantum simpliciter, verum cum addito *sanctum Iehouae* Spiritus sanctus appellabat; quid mirum, istud elogii, cum eadem ad summum Deum relatione, nostrum sibi tribuere supremum sacerdotem, qui, & si *personam* spectes, qua *diuinam* naturam Patri est ἴδιος Rom. IIX. 32. Prou. IIX. 22. cum eoque, in personarum differentia, coniunctissimus, Io. I. 1. 2. 18. Prou. IIX. 30. qua *humanam* vero etiam naturam, per vnionem cum diuina personalem, Deo proximus, Zach. XIII. 7. & si *officii* habeatur ratio, illud omne *a Deo* habet, Io. X. 17. V. 30. *a Deo* etiam ad illud obeundum *sanctificatus*, Io. X. 36. vnctusque diuino Spiritu, Iesa. LXI. 1. Ps. XLV. 10. Act. IV. 27. X. 38. nobisque *a Deo* ἁγιασμὸς factus 1. Cor. I. 30. *seruus* etiam ideo *Iehouae* dictus, Iesa. XLII. 1. XLIII. 10. LII. 13. Zach. III. 8. Quae cum ita sint, & Iesum mundi redemtorem Deique filium esse, daemones conuicti, τὸν ἅγιον τᾶ Θεᾶ palam professi legantur, Marc. I. 24. Luc. IV. 34. non minus illud ad nostrum חסד יהוה pertinere iudicari debet, quam titulum קדש קדשים, Dan. IX. 24. eo, cum aliis, *Bernhardus Lamy* in Harmonia Euang. referre non dubitauit. De *passiua* nihil addimus vocis חסד significatione. Qui eandem agnoscunt, facile etiam reperiunt, quo in Christum ἐξοχικῶς & cum emphasi maxima eam conuenire probent, quum ob essentiae diuinae vnitatem, & eam ipsam, quam veneramur in Saluatore nostro, virtutum omnium perfectionem vere summam, & ad munus etiam redemtoris obeundum promptitudinem, Io. X. 17. fieri nequeat, quin summo eum atque eximio Pater amore complectatur, vnde בחיר יהוה, ἀγαπητὸς, υἱὸς εὐδοκίας, & *propter ipsum* velut antitypum, Salomo ידידיה *dilectus Domini* 2. Sam. XII. 15. adpellatus fuit. Conf. *Glass.* d. l. p. 106. coll. 104. *Spencer.* p. 324.

§. XVII.

§. XVII.

Igitur, vt ad propoſitum, quae obſeruata ſunt, referantur, quo minus ille noſter mediator atque ſacerdos ſummus, quamuis redemtoria morte exſtinctus, corruptioni, qua corpus exanimum, a Deo permitteretur, *& perſonae & muneris ſanctitatem*, *ad Deum relatam*, cuiusque adeo ſibi intime cognitae Deum rationem habere neceſſe fuerit, prohibuiſſe, voce חסידך ſubindicatur, ἐμφατικῶς hoc in negotio adhibita. Et quidem, ſi ſanctitatem primum *naturae diuinae* ſpectaueris, communicatam humanae naturae, atque adeo carni quoque, tum mortuae atque ſepultae; habes hic fundamentum argumentationis Theologorum *ex vnione perſonali* deriuatae, qua fieri potuiſſe negant, vt ea caro putrefactioni obiiceretur, quae perſonae τοῦ λόγου arctisſime vnita eſt: quoniam, carne corrupta, vnionem, ſequeretur, vel exſpiraſſe penitus, vel tantisper interruptam fuiſſe. Quod vtrumque cogitare impium.

Percepimus ſupra (ad §. XI.) *Athanaſium* aſſerentem, corpus Chriſti, *propter inhabitans Dei verbum*, expers fuiſſe corruptionis. Atque ſic Theologos paſſim ſtatuere, magno conſenſu, ipſe monuit noſter anonymus: es wäre die Verweſung deſſelben, wegen der in ihm wohnenden Fülle der Gottheit, unmöglich geweſen, l. c. p. 554. ſed tamen is parum, immo nihil, huic tribuendum eſſe ratiocinio, exiſtimabat, ex ea ratione, quod non ad *corruptionem* magis, quam *mortem* ipſam negandam illud facere poſſe, videretur. En verba eius ex pag. 557. n. VI. repetita: Iſt es unmöglich geweſen, daß Chriſtus wegen der in ihm wohnenden Fülle der Gottheit nicht hat verweſen können, ſo wäre es ja auch aus eben der Urſache ohnmöglich geweſen, daß er wahrhafftig hätte ſterben

ben können. Non cogitabat igitur vir doctus, quod fieri tamen omnino debebat, de neruo probationis ex vnione perſonali deriuatae. Is in eo nimirum ſitus eſt, quod per putrefactionem alterum vnitorum, vel certe aliquid eius, deſtructum fuiſſet, atque illud tum vel eſſe deſiiſſe, vel cum alio commutatum, dicendum foret: quo admiſſo, vnio ſalua manere non potuiſſet. In hanc mentem breuiter *Balth. Meisnerus: Fieri*, inquit, *non potuit, vt perſonalis vnio maneret ſalua, & interim corrumperetur vel putreſceret corpus. Nam quod λόγος ſemel aſſumſit, neque deſerit, neque cum alio commutat.* Chriſtolog. ſacr. Diſp. XXXIX. §. XI. p. 344. Vidiſſet, iſta ſi ſecum ἐ δεῖνα reputaſſet, ſyllogismum medio termino deſtitutum fore, ſi quis probare vellet, mortem aeque ac corruptionem omnem vnioni hypoſtaticae contrariari. Per mortem enim neutrum vnitorum tollitur, ſed manet corpus aeque atque anima, atque adeo totum τὸ ἀνθρώπινον integrum: quare nec deſiiſſe in triduo mortis eſſe verum hominem & θεάνθρωπον, plerique adfirmant. Vid. *Abr. Calou.* Syſtem. Tom. VII. p. 661. *I. Ad. Scherzer.* Syſtem. p. 241. *I. C. Dannhauer.* Hodoſoph. p. 618. *Kil. Rudrauff.* Philoſoph. Theol. Exhib. X. §. 17. ſeqq. p. 114. ſq. Adparet ex his, fruſtra etiam eſſe, quod additur: Nun aber bleibet der Theologiſche Satz unbeweglich feſte: GOtt iſt in dem Menſchen Chriſto JEſu geſtorben und begraben, daher können wir auch wohl ſagen, GOtt iſt in dem Menſchen Chriſto JEſu verweſet. Niſi enim, qua ratione, vnione ſalua, partium tamen corporis Chriſti διάλυσις deſtructiua fieri potuerit, edoceamur: poſita tali corruptione, tam falſum foret, Deum in carne διαφθορὰν ſubiiſſe, quam vere, duce Scriptura, dicitur, Deum in carne mortuum atque ſepultum eſſe. Itaque tantum abeſt, vt ille μόνος ὅσιος Dei Filius in corpore aſſumto corruptionem ſenſiſſe dicendus ſit, vt potius hoc ipſum

ipſum corpus aſſumtum, eo quod per hanc aſſumtionem *Dei ſancti corpus* ſit, corrumpi minime potuerit.

§. XIIX.

Deinde vero ſanctitatem etiam, quae *humanae naturae* propria, titulo חס'ד ſimul comprehenſam, non dubitamus eſſe eiusmodi, vt ἀφθαρσίας priuilegium corpori ſanctisſimo conciliare omnino debuerit. Siquidem corruptionis humanorum corporum phyſicae neceſſitatem omnem ex corruptione morali, ſeu peccati labe, deriuandameſſe, orthodoxis in confeſſo eſt. Illud igitur ex Maria Virgine γεννώμενον ἅγιον, vt corruptionis moralis omnis expers, ita phyſicae etiam corruptionis legi minime obnoxium cenſeri debet. Et *mortem* licet, propter peccata hominum expianda, ſponte ſua, atque ex conſilio diuino liberrimo, ſubierit: *corruptionem* tamen vt ſubiret, quum non aeque illud ſatisfactionis pro humano genere praeſtandae ratio requireret, fieri per illam perfectiſſimam naturae ſanctitatem non poterat.

Quum mortem aeque ac corruptionem corporis deſtructiuam ſacra Scriptura vbique ad peccatum referat, tanquam ad cauſſam ſuam, Gen.II.17. Rom.V.12. 1.Cor.XV. 56. & perfectam obedientiam, vi promiſſorum ſummi legislatoris, ſequi non potuerit niſi perfecta vita, Leu. XIIX. 5. Luc. X. 28. neque etiam ante corruptionem peccati moralem, in homine ad imaginem Dei, &, qua corpus etiam, cum partium atque humorum ſumma εὐκρασίᾳ condito, Gen.I.26.31. mortis aut corruptionis phyſicae cauſſa vlla, ſeu interna, ſeu externa, proximaſaltem, locum habere potuerit: viciſſim vero per peccatum affectus

inordinati, atque ex his motus etiam in corpore inordinati, corruptionem partiumque destructionem minantes, orti fuerint: hinc magno consensu Theologi orthodoxi contra *Pelagianos*, *Socinianos*, *Arminianos*, *Cocceianos*, *Peyrerium*, & e nostris etiam *Puffendorffium* & *Helmstadiensium* veterum nonnullos, mortem cum corruptione corporis eam subsequente, non essentiae hominis aut naturae incorruptae, sed peccati aut naturae corruptae sequelam esse, nullo non tempore asseruerunt. Vid. *Abr. Calou.* System. Tom. IV. p. 728. & Considerat. Arminian. p. 136. seqq. *Io. Andr. Quenstedt.* Systema. Part. II. Q. VI. p. 31. seqq. Q. IIX. p. 43. seqq. *Io. Gerhard.* in Locis Theol. Tom. IIX. de morte §. 39. *I. C. Dannhauer* Hodosoph. p. 473. *Aeg. Strauch.* Consens. repetit. vindicat. p. 138. seqq. *Kil. Rudrauff.* in Summ. Theol. Thet. p. 436. de nouiss. Th. II. §. 2. *Gust. Ge. Zeltner.* Breuiar. controu. cum Remonstrant. agitat. Contr. XVII. p. 132. seqq. *Chr. Matth. Pfaff.* Schediasm. de morte nat. p. 37. seqq. & *Io. Gust. Reinbeck* Meditat. in Aug. Conf. Part. II. Medit. XXXII. §. III. seqq. pag. 338. seqq. Igitur humanam Christi naturam, ab omni labe morali immunem, qua corpus etiam, non per naturae corruptae ordinem, sed singularem Spiritus sancti ἐπίλευσιν supra naturam ortum, (Conf. *Io. Frid. Mayer.* Dissert. Vtrum Christus fuerit in lumbis Adami peccantis? & eiusdem Dissert. select. I. Append. p. 36. seqq. it. *Casp. Herm. Sandhagen* Cogitat. ad loca difficil. N. T. p. 465. not.) δυσκρασίας omnis & inordinatorum motuum prorsus expertem, mortis legi & corruptioni per se esse exemtam decebat. Siquidem eam nec vt poenam meruerat, nec ea, quae piorum ex hac vita discedentium conditio est, vt beneficio egebat, a labe contracta corpus liberaturo. Id quod Theologi volunt, quando Christi corpus non subiisse corruptionem dicunt *ob summam carnis eius sanctitatem, quae non eguit putrefactione ad exstirpandum pec-*

catum, vt habet *Casp. Er. Brochmandus* Syst. Theol. c. l. Mortem tamen vt per voluntariam oeconomiam ac dispensationem, propter peccata mortalium sibi imputata, libere subiret, eo factum esse docemur, quod iustitiae diuinae rationes requisiuerint, vt διὰ τοῦ θανάτ8 potestatis inferorum destructio nostraque redemtio perficeretur, Hebr. II. 14. 15. IX. 15. 16. Hinc ἐντολὴν se a Patre habere dixit, vt vitam poneret, Io. X. 18. & *voluntate* Dei factum esse Paulus testatur, vt sanctificaremur per oblationem corporis Iesu Christi semel factam Hebr. X. 10. De *corruptione* vero corporis iam exstincti, per easdem iustitiae regulas requisita, vt nihil memoriae proditum diuinis literis legimus, ita tantum abest, vt ἐντολὴν aut θέλημα τ8̃ πατρὸς corporis sui destructionem requisiuisse persuasum habuerit, vt potius, *sanctitatis* suae ratione habita, Patrem eam *non permissurum esse*, totus confideret. Recte igitur *Thomas* pronuntiauit Part. III. Quaest. LI. Art. 3. *Corpus Christi non fuit conueniens putrefieri, vel quocunque modo incinerari, quia putrefactio cuiusque corporis prouenit ex infirmitate naturae illius corporis, quod non potest corpus amplius continere in vnum. Mors autem Christi non debuit esse ex naturae infirmitate, ne crederetur non esse voluntaria, & ideo non ex morbo, sed ex passione illata voluit mori, cui se obtulit sponte. Et ideo Christus, ne mors eius naturae infirmitati adscriberetur, noluit corpus suum qualitercunque putrefieri, aut qualitercunque resolui: sed ad ostensionem virtutis diuinae voluit corpus illud incorruptum permanere.* Et huius mihi diuini consilii omnino videtur respectus fuisse in *carne sacrificiorum* V. T. quae & integra esse debebat, & nece violenta interire, cum effusione sanguinis, sed offerenda recens erat, antequam putrefactionem subire posset. Vnde ea forte Talmudicorum παράδοσις, *carnes sanctuarii foetuisse nunquam*, cuius meminit *Io. Wolfius* Lect. memorab. Centen. III. p. 91.

§. XIX.

Iam id vnum reſtat, vt ad titulum τοῦ יהוה חסיד, ſingulari cum emphaſi ſacerdoti N. T. ſummo proprium, ipſumque adeo Meſſiam συνωνύμως deſignantem, reſpiciamus. Eſt quippe in huius etiam conditione *muneris* ratio ſita, cur non permitteret Deus, carnem eius corruptionem experiri. Siquidem eum ἀρχιερέα εἰς τὸν αἰῶνα conſtitutum non decebat, aliqua ſui parte vel ad tempus interire. Et oblatione quidem corporis ſanctiſſimi ſemel facta, non corruptione, ille negotium omne ſatisfactorium perficere, ac conſummare ſanctificandos debebat. Qua oblatione facta, non erat, quod in peccatorum humani generis ἀπολύτρωσιν iuſtitia diuina amplius requireret. Igitur nec corruptionem corporis fieri requirebat, ſed neceſſe erat, corpore integro illum ſanctum Iehouae ſacerdotem in ſacrarium ingredi: ceteris, quae mortem inter & extremum exaltationis gradum intercedebant, ad meritum quidem, non ad expiationem, aut ſatisfactionem pro peccatis, pertinentibus.

Sacerdotium Chriſti ex diuina conſtitutione aeternum, ſacerdotem etiam ipſum εἰς αἰῶνα permanentem exigebat. Pſ. CX. 4. Hebr. VI. 20. VII. 17. 21. 24. 28. Et hoc nomine videmus eum, tanquam praerogatiua inſigni, contradiſtinctum Veteris Teſtamenti ſacerdotibus, quod mors eos permanere prohibuerit. Ib. Cap. VII. 23. 24. Oportebat itaque perſonam mediatoris ſecundum vtramque naturam, (nam ſecundum vtramque ſacerdos eſt,) manere integram, nec morte ipſa, quo minus permaneret, prohiberi. Nec obiici poterit, (quale quid ad locum 1. Petr. I. 18. de ſanguine Chriſti φθαρτοῖς oppoſito no-

noſter obvertit,) non de ſubſtantia, ſed virtute permanente verba intelligi debere: quum non virtutem equidem ſacerdotii veteris morte aboleri ſacerdotum, Apoſtolus voluiſſe exiſtimari poſſit, ſed perſonas vtique ſacerdotio fungentes. Quod ipſum vero noſtri ſummi ſacerdotis opus expiatorium, oblatione corporis ſemel facta, id eſt, morte conſummari debuiſſe diximus, Paulo itidem doctore didicimus, Hebr. X. 10. 12. 14. qui expreſſe etiam Cap. IX. eiusdem epiſtolae Comm. 15. in hoc conſtitutum noui foederis mediatorem (חסיד יהוה ſacerdotum ſummum,) ait, vt θανάτȣ γενομένȣ, morte ſemel facta, (non corruptione ſimul interueniente) in redemtionem peccatorum, quae ſub priori teſtamento fuerant, promiſſum ſempiternae hereditatis vocati acciperent.

CAPVT ALTERVM.

DE MONITORIS ANONYMI DVBIIS NOVAEQVE INTERPRETATIONIS FIRMAMENTIS DISQVIRENS.

§. I.

Vidimus, quid recepta Theologorum noſtratium de ſenſu oraculi Dauidici ſententia ferat. Et eandem, ni fallor, deprehendimus vi vocum naturali & emphaſi ſacrae phraſis inniti, quae ſic comparata, vt reſtringi ad corruptionem tantum finalem aut plenariam non patiatur, niſi forte exceptione omni maiora ſint, quae reſtrictionem fieri vrgeant. Quum eiusmodi

vero nonnulla ſibi reperiſſe viſus fuerit noſter Anonymus, quae, de noua interpretandi ratione vt cogitaret, in cauſſa fuerunt: in ea, fas eſt, qua fieri tamen breuitate poteſt, inquiramus.

Nimirum ita ſatisfieri conuenit deſideriis viri docti, ſcrupulos ſibi eximi poſtulantis p. 554. hac praeſertim ratione addita: Weil kein einiger von allen Theologis, deren ich nicht wenige hiervon nachgeſchlagen habe, die Objectiones, daher das Dubium bey mir entſtanden, angeführet oder beantwortet hat.

§. II.

Sunt autem iſta non vnius generis, facili negotio in diſtinctas claſſes ſecernenda, niſi ſatius videretur, haud interrupta ſerie, auctorem, nouem poſitionibus, quidquid exortum aut dubii aut exceptionis fuerat, complectentem, preſſius, &, quod aiunt, κατὰ πόδα inſequi. Vbi primo quidem ex analogia fidei ratiocinium duci deprehendimus, quae requirere videatur, vt, quidquid eſt *poenae peccati*, conſequenter & *corruptionem*, mediator ſubiiſſe credatur, manſuram, absque eo ſi eſſet, in perpetuum miſeros mortales.

Ita nimirum ille p. 554. 555. 1. deucht mir, es könne ſolches mit der analogia fidei nicht wohl beſtehen, wenn man die Verweſung des Leibes und Blutes Chriſti gantz und gar verwirfft. Sintemahlen die Straffe, welche GOtt auf die Sünde legte, nicht nur dieſe war: Du ſolt des Todes ſterben, ſondern auch: du ſolt zur Erde werden. Soll uns nun dieſe Straffe nicht ewig treffen, ſo hat ſie der HErr JEſus an ſich für uns wahrhafftig büſſen müſſen, wenn wir davon dermahleinſt in

der Auferstehung sollen befreyet werden. Hat er aber gar keine Verwesung gelitten, so ist unsere Verwesung auch nicht aufgehoben.

§. III.

Verum hic non vnum est, de quo monere debemus nouum interpretem. I. Dubitari posset, num corruptio, *morti contradistincta*, merito pro *poena* reputetur peccati, quam poenae potius adiunctum aut sequelam diceremus: quum corpori quidem anima casso poena proprie infligi nequeat, animus vero in statu separato quomodo corporis sui destructione afficiatur, iudicatu difficile sit. Animas certe damnatorum credimus facilius cadauerum suorum interitum, quam resuscitatorum corporum cruciatus perpetuos laturos. Praeterea II. & in eo noster fallitur, quod corruptionem *perpetuo duraturam* videtur peccati poenam statuere: quum constet, non interitum aut destructionem corporis perpetuam, sed dolores & sensum malorum infernalium perpetuum, sententia legislatoria peccatoribus definitum esse. Nullus igitur in hoc ratiocinio nexus: Si Christus corruptioni nullo modo fuit obnoxius, sequitur, nos in perpetuum corruptioni fore obnoxios. Aut an impios etiam noster credet isto sui corporis interitu, vi *corruptionis*, quam vellet, Christi *meritoriae*, liberos praestari? Tandem III. quod πρῶτον hic ψεῦδος est dubitatoris, poenarum omnes species & modos sponsorem in persona sua sustinere debuisse, gratis supponitur. Id enim si verum esset, morbos etiam corporis, nec crucifixionem saltem, sed suppliciorum omne genus, & ignes etiam inferorum, im-

immo corruptionem, ea si poena peccati sit, non aliqualem tantum, aut initialem, sed omnimodam, totius compagis destructiuam, corpore sanctissimo subire necesse habuisset, quod oppido falsum. Non igitur analogia fidei magis requirit, Christi corpus vt corruptioni statuatur fuisse obnoxium, quam vt morbos aut poenarum modos alios subiisse credatur.

Quum mortis poenam minaretur homini, legem transgressuro, legislator summus Gen. II. 17. nihil equidem legimus de corruptione additum. Quod vero post lapsum Adamo dicitur: *Cum sudore vultus tui comedes panem, donec redeas in terram, quia sumtus es de ea: puluis enim es, & reuerteris in puluerem*, Gen. III. 19. illud si sanctionis *poenalis* rationem habere existimauerit noster, non aeque omnes consentient. Promisso siquidem redemptore, quas viiuerso generi humano, in peccati & promissae liberationis memoriam perpetuam, castigationes obuenturas praenuntiat, *poenae*, sensu saltem *proprio*, dici non possunt, nisi eorum respectu, qui liberatorem fide non sint recepturi. Sed si tamen, poenam hac sententia legislatoris indici, concedatur, saltem non hic διαφθορὰν, vt poenam *a morte corporis distinctam*, commemorari videas, sed vna phrasi, *reditus in terram seu puluerem*, mortem cum corruptione subsecutura simul comprehendi. Licebit igitur, resolutionem corporis in puluerem poenae potius adiunctum aut consequens, quam poenam ipsam reputare: aut, si mauis, mortem cum aliis, vt *ens morale concretum*, spectaueris, quod plura comprehendat, quorum nonnulla per necessitatem naturae corruptae, diuinamque etiam oeconomiam, Christi satisfactione tolli non potuerunt, & inter ea reditus in puluerem. In quam sententiam leg. Unsch. Nachr. 1702. p. 28. 29. (36. 37.). Interim eam seu

poe-

nam, seu poenae sequelam aut adjunctum, absque Christi merito si sit, *perpetuo duraturam* existimare non debemus. Equidem ita vt secum statuerent Theologi, e nostris etiam nonnulli, impios vi meriti Christi resurrecturos docentes, hac ipsa hypothesi, quae paucis se tamen probauit, inducebantur. *Henr. Boetium* Helmstadiensem, *Casp. Er. Brochmannum*, & *Phil. Lud. Hannekenium* ea constat opinione fuisse, quorum hic in Diss. cui tit. Contemplatio resurgentium ex morte hominum, Giessae 1692. habita, Contempl. II. p. 5. 6. *non aliam corpori fuisse expectandam mortis sententiam, praeter eam, quae est resolutio in puluerem*, non dubitabat asserere. Verum, pace tanti viri, nobisque multis nominibus, & singulari etiam cognationis lege post fata venerandi, istud, vt paucis persuasum est, sic difficulter persuaderi intelligentibus posse, existimamus. Quandoquidem quidquid est fructus meriti Christi, ad solos credentes scriptura pertinere docet, nec quae, ordinata ad iudicium & condemnationem aeternam, Dan. XII. 2. Io. V. 29. *in poenam* contingit, resuscitatio caussam meritoriam aliam, praeter peccatum & ἀπιςίαν finalem, agnoscere potest. Quibus & illud accedit incommodum, quod, si, sepositò Christi merito, nulla futura poena sensus, qua corpus, aeterna fuisset, neque pro ea satis feciisse Christus, quin procurasse eandem, dicendus foret. Relegenda, quae contra *Boetium* ex instituto disputans *Frid. Balduinus* memoriae prodidit, (de qua controuersia *Hier. Kromayerus* refert Hist. Eccl. Sec. XVII. p. 649. & *Andr. Caroli* Memorabil. Eccles. seculi eiusdem Part. I. Lib. II. Cap. XII. p. 327.) praetereaque *Io. Gerhard.* Tom. IIX. loc. de resurr. §. 55. seqq. *Io. Ad. Scherzerus* System. Theol. p. 877. nec non in Progr. singulari, quod legitur in eius Progr. iunctim editis Lips. 1679. p. 225. *Abr. Calouius* Syst. tom. XII. p. 120. & *Kil. Rudrauffius* in Syllo-

ge Controu. Theol. p. 646. seqq. Adhuc igitur consecutio fallit, corpora nostra a corruptione nunquam liberanda fore, nisi Christi corpus corruptionem subierit. Quod vero vltimo loco monuimus, precario sumi, quidquid Christus perpessus non fuerit, ab eo nos liberari non posse eius merito, facile per instantiam morborum corporis, qui mortis prodromi sunt, efficitur: quemadmodum & alia sunt innumera calamitatum genera, in quibus poenam peccati haud inuitus agnouerit auctor, & a quibus liberandi sunt olim in perpetuum electi, vi meriti Christi, qua fit, vt neque nunc poenae rationem habeant ea mala, piis inflicta, neque tamen iis omnibus saluatorem optimum afflictum esse, probari poterit. Audiat, qui dubia sua hactenus Theologis intacta credidit, *Io. Andr. Quenstedium* Diss. de vulneribus Christi Cap. II. quaest. III. §. 8. *Sed nec intererat humanae salutis, vt, qui a corruptione aeternum duratura nos vindicandos sibi sumpserat, sanctissimum suum corpus huic malo per tempus subiiceret, quo mediatore sanctificata corpora aeterno exitio subtraherentur. Etenim, talis interitus, quo corpora nostra putredine tandem exedenda forent, nos non manssit ob peccatum; sed cruciatus, in igne inextinguibili, aeterni, durante corporis compage, & vermis conscientiae non intermoriturus. Es. 66. 24. Cui accedit, quod, si Christus omnes peccati poenarum species experiri necessum habuisset, a multis non essemus liberati. Sic vrendi adhuc foremus infernali igne, quia igne vstulatum fuisse Christum nullibi legimus. Eodem modo iustis etiam morbi adhuc poenae essent peccatorum, quos quoad speciem non sustinuit Redemptor noster. Sufficit in ipsum coniecta fuisse omnia nostra peccata, & languores, & disciplinam pacis fuisse super eum, vt liuore eius sanaremur, Es. 53. 4. 5. ac per eum quoque omnia diaboli opera destructa esse penitus 1. Io. 3. 8. Sit igitur antiquum malum,*

vt diffluant in cruce ſuffixi, & τὰι σάρκας ἀπολλὺωσι: *modo ne, omni vitio & macula vacuo, corpori Chriſti accidiſſe dicatur.* Audiat & *Schrammium* noſtrum Diſp. cit. §. XV. p. 26. *Obieceris*, ait ille, *Chriſtum omnes poenas pro nobis ſubiiſſe, ergo & corruptionem. Sed hic dicitur, eam ne quidem vidiſſe, vel ſenſiſſe. Verum reſpondemus, poenas quidem omnes ſubiit, ſed non omnes poenarum modos. Nec enim ſpinas & tribulos Chriſto germinauit ager, iuxta illud Gen. III. quem non habuit. Sic etiam ſufficit, Chriſtum ſuſtinuiſſe mortem, vtut per hanc in puluerem non abierit: quippe qui per illam immunitatem ſolus a ceteris diſtinguendus erat.*

§. IV.

Quum nihil igitur adhuc in analogia fidei deprehenſum ſit, quod corruptionis in corpore Ieſu initium concedere vrgeat; ad *alterum*, age, progrediamur auctoris dubium, quod ex illa humanae Chriſti naturae ab Apoſtolo aſſerta κατὰ πάντα cum fratribus ὅμοιώσει deriuatur. Quandoquidem enim in confeſſo ſit apud omnes, facta λὺσει corporis & animi ſtatim in carne & ſanguine corruptionis initium fieri: idem etiam in corpore ſanctisſimo contigiſſe, per eandem ὁμόιωσιν, ad carnem & ſanguinem praeſertim relatam, dubitari non poſſe exiſtimat.

Hauriamus iterum verba auctoris: p. 555. II. Iſt es ja unſtreitig, daß, ſo bald die Seele im Tode vom Menſchen geſchieden iſt, Fleiſch und Blut anfange in die Verweſung zu gehen. Nun muſte der HErr JEſus allerdings κατὰ πάντα ſeinen Brüdern gleich werden, Hebr. II. 17. welche Worte ſich ausdrücklich auf ſein Fleiſch und Blut v. 14. beziehen. *Ergo &c.*

§. V.

Nimium vero illud confidenter ſcriptum eſt, ex quo anima ſeiuncta a corpore fuerit, ſtatim corruptionis initium fieri; idque plane indubium atque ἐξαγώνιον eſſe. Siquidem huic aſſerto & ratio & experientia reclamat. Eam etenim craſeos & texturae partium corporis deſtructionem intimam, quae putrefactio, & defunctorum corporum corruptio dicitur, per motum inteſtinum partium fluidarum, & inde exſolutas particulas foetidas, oleoſas, lixiuas, ſeu alcalinas, volatiles, fieri, periti rerum naturalium indagatores obſeruant. Igitur, cum varia ſint, quibus ille motus partium fluidarum inteſtinus ſufflaminari, & impedita particularum oleoſarum, volatilium, foetidarum exſolutione, naturalis illa partium craſis & textura praemuniri poſſit: facile intelligitur, ne per naturam quidem in omnibus eodem tempore corruptioni locum eſſe, quod & exempla confirmant innumera cadauerum, quae per aliquod tempus incorrupta reperta ſunt.

Meretur hic in conſilium adhiberi, quem ſupra laudauimus, *Chr. Frid. Garmannus* de miraculis mortuorum Lib. III. tit. I. de putredine cadauerum, & tit. II. de cadauerum incorruptibilitate & mumiis. Exemplis, quae commemorat ille, addi poteſt, quod in Chorographia Siciliae *Marius* memoriae prodidit pag. 9. Panhormi in Sicilia tria mulierum, ante CCXC. annos in carcerem quendam ſubterraneum coniectarum, cadauera inuenta eſſe, nulla adhuc putredine vitiata, integris cum veſtibus, ſericisque calanticis. De metallifoſſore quod narrat *Garmannus*, poſt LX. annorum decurſum incorrupto, tit. II. §. 20. huic ſimilia ex *Dückheri* Chronic. Salisburg.

p. 12. de viro e ſalinis Dürnbergenſibus prope Hallein an. 1573. & alio 1616. effoſſo, quorum ille media aeſtate per aliquot hebdomadas, hic per annos aliquot incorruptus aſſeruatus fuiſſe dicitur, legas in Part. IV. der ausführl. Hiſtorie der Emigranten aus dem Ertz-Biſthum Saltzburg Cap. II. p. 10. Nec praetereunda, quae Bremae ad templum cathedrale, in loco ſubterraneo, cui a *plumbo* vulgus nomen dedit, cadauera viſuntur, a multis retro annis, immo plus vno ſeculo, integra. Caue tamen iſta perfecte imputreſcibilibus connumeres. Nam & exſiccatio quaedam putrefactionis ſpecies eſt, monente *Garmanno* §. 2. p. 944. Neque vero dubitamus gratum fore lecturis, ſi hoc loco relegant, quae, ſciſcitantibus nobis, pro ea, qua in nos eſt, humanitate ſingulari, erudite reſcripſit, *D. Werlhofius* celeberrimus, amicus certisſimus. *Es kan niemand beweiſen*, ita nimirum ille vir doctiſſimus, *daſs der Augenblick des Todes auch der Augenblick des Anfangs der Verweſung ſeyn müſſe. Die Seele iſt nicht das unmittelbare Band, das die Theile des Cörpers zuſammen hält, und für Verweſung bewahret, ſondern die Verweſung kan im Leben, und nach dem Tode, bald früher, bald ſpäter angehen, nachdem es die cörperlichen Umſtände mitbringen. Der menſchliche Cörper beſtehet aus flüſſigen und feſten Theilen. Wenn die flüſſigen Theile durch innere Bewegung ſo aufgelöſet werden, daſs ſtinckende, öhlichte, und flüchtige laugeſaltzige Theile hervorbrechen, nennet man ſolches eine Fäulung. Wenn alſo faulende flüſſige Theile auch durch ihre innere Bewegung die feſten angreiffen, und derſelben innerſten Zuſammenhang zerreiſſen, daſs gleichmäſſig daraus particulae foetidae, oleoſae & alcalinae volatiles hervorbrechen. ſo iſt dieſes die Fäulung der feſten Theile des Cörpers. Und das iſt die Art der Verweſung, wo on hier die Rede iſt. Denn Verweſung, corruptio, iſt überhaupt deſtructio intima texturae partium cor-*

corporis, sie geschehe durch Feuer, Zerquetschung, Fäulniss, äussere oder innere Gewalt. Fäulung aber, putrefactio, welche ordentlich den todten menschlichen Cörpern von selbst, durch innerliche Bewegung, wiederfähret, ist eine Verwesung, corruptio, destructio intima craseos & texturae partium fluidarum & solidarum, per motum intestinum fluidarum, & inde exsolutas particulas foetidas, oleosas, lixiuas (siue alcalinas), volatiles. Die flüssigen, und die festen, aber weichen, und Feuchtigkeiten in sich haltende Theile des menschlichen Cörpers sind sehr zur Fäulniss geneigt, weil sie gar viele, und leicht durch innere Bewegung zu entbindende particulas oleosas & volatiles in sich halten, und wo nicht ein beständiger sanfter motus progressiuus der Säffte den motum intestinum, welcher bey stockenden Feuchtigkeiten gar leicht überhand nimmt, mässiget, und die etwa nichts desto weniger sich entbindenden particulas putridas durch gehörige Wege austreibet, damit andere nicht davon angegriffen werden, so entstehet gar leicht ein Verderben, das den Weg zur Fäulung bahnet, ja bald die Fäulung und Verwesung selbst. Daher kommt es, dass der Cörper nach dem Tode, da die Circulation, der motus progressiuus oder Fortgang der Säffte, aufhöret, so leicht und bald faulet und verweset. Es giebt aber die gesunde Vernunfft und Erfahrung, dass das alles eine latitudinem hat, und nicht in allen Cörpern, zu allen Zeiten, an allen Orten gleichmässig geschehe. Man kan nicht sagen, dass die Verwesung angehe, bevor crasis & textura partium destruiret wird. Was nun die natürliche Verbindung der Theile etwas länger wieder die Macht des motus intestini fluidorum, der von der Befreyung der particularum aerearum & ignearum herkommt, schützen, diesen mässigen, uud die Entbindung der particularum oleosarum volatilium foetidarum verhüten kan, das schiebet die Verwesung des todten Cörpers auf. Natürlich wäre es also, dass ein sehr gesunder, durch ge-

waltſamen Tod in den beſten und ſtärckſten Jahren hingerissener, durch ſtarckes Blutvergieſſen von dem, was am meiſten und erſten zur Fäulniſs geneigt iſt, befreyeter, und bald in ein trocknes, kühles, felſichtes, für der äuſſern Lufft feſt verwahrtes Grab gelegter Cörper nicht ſofort angefangen zu faulen und zu verweſen, ſondern bis an den dritten Tag dafür bewahret geblieben. Hat man doch unzehliche Exempel von andern Cörpern, die aus dergleichen und andern Urſachen weit länger für der Verweſung erhalten worden, und genug zeigen, daſs die Seele nicht als ein Condimentum Corporis zu achten ſey, welches ſofort mit ſeiner Abſonderung dem Cörper die Macht nicht zu faulen mit wegnehme, ſondern daſs das Faulen und Nichtfaulen, das früher oder ſpäter Verweſen, auf cörperliche Urſachen ankomme, welche unzählich unterſchiedene Einſchränckungen, Grade ihrer Würckungs-Krafft, und Zeiten des Anfangs ihrer Würckung leiden.

§. VI.

Quum igitur, eo ſubruto fundamento, vix ac ne vix quidem probari poſſit, per naturam fieri nequiuiſſe, quin corruptionis initium in corpore Chriſti ſepulto locum haberet; nihil etiam ex iſta naturae humanae Chriſti cum fratribus ὁμοιότητι aduerſus eam, quam propugnamus, ſententiam efficitur. Praeterquam quod ea ὁμοιότης non corruptionis actum, ſed poſſibilitatem ſaltem, eamque remotam, inferre poſſit, nec ad ea, quae poſt mortem in ſanctiſſimo corpore euenerunt, extendenda ſit. Ne dicamus de potentia Dei extraordinaria, & naturae, cum diuina coniunctae, ſanctitate abſolutiſſima, atque ex ea ipſa coniunctione illata corruptionis impoſſibilitate, de qua cap. I. expoſuimus.

Pos-

Possibilitatem diximus *remotam*, qualis fere in Adamo integro fuit, quem in statum mortalitatis, atque adeo corruptionis, transire, non necesse equidem per naturam, at nec impossibile simpliciter fuerat. Quod & voluisse crediderim ex Patribus illos, qui statum quendam primi hominis inter mortalitatem & immortalitatem medium statuebant. De quibus Rev. *Io. Chr. Wolfius* monuit Not. ad Lib. II. Theophili Antioch. ad Autolycum p. 187. seq. &, quos ibidem laudat, *Petauius*, *Hubertus*, *Vossius*, *Dodwellus*. Accedit tamen in humana seruatoris nostri natura, propter ἀναμαρτησίαν absolutam, perfectissima corporis εὐκρασίαν, per quam ne vllo quidem tentatus morbillo creditur, quod contra *Bartholinum* tuetur *Quenstedius* plus semel citata de vulneribus I.C. Dissert. cap. II. qu. III. §. 9. & praeterea, intima illa cum persona τοῦ λόγȣ coniunctio, per quam fieri non potuit, vt pars aliqua naturae assumtae destrueretur. Ex quo, positis etiam caussis naturalibus, quibus corpus a corruptione integrum praestari potuisset, sanguinis certe & effusi affatim & dispersi conseruatio potentiae ὑπὲρ πάντα ἐκ περισσȣ̃ operanti iure meritoque tribuitur. Illam igitur, de qua S. Paulus praecipit, naturae ὁμοίωσιν ad infirmitates quidem humanas, (non personales tamen illas, sed naturales) pertinere, vt non negamus; ita neque ipsum corruptionis actum ea inferri, concedimus, neque possibilitatem etiam, nisi remotam, qua, nisi alia obstiterint, per naturam corpus corrumpi, absolute impossibile non fuerit.

§. VII.

Iam quod *tertio* loco noster promit, non tam sponte subortum dubium, quam hypotheseos, sibi quae se probauerat, quaesitum praesidium, dixeris.

Ni-

Nititur quippe singulari verborum Ps. XXII. 16. exegesi, qua *in puluerem mortis collocari* idem esse putatur, quod *in tumba corruptionem subire*, *resolui in puluerem mortuorum instar*. Eamque interpretationem collatione loci Iob. XIV. 8. efficere conatur, vbi *in puluere emori* truncus dicatur, habito respectu ad resolutionem corporis humani in sepulcro, vi v. 10. seqq. Opportune etiam LXX. seniores pro בעפר ἐν πέτρᾳ substituisse videbantur, quo modo ἐν πέτρᾳ τελευτᾶν commode corpus Saluatoris diceretur, in monimento e petra exciso corruptionis initia sustinens.

Haec ille c. l. p. 555. 556. III. Spricht der HErr Christus selbst Ps. XXII. 16: Du legest mich in des Todes Staub. Die Explication derer Exegeten gehet in ihren Commentariis dahin, daß diese Redens-Art also zu verstehen sey: Er werde nach seinem Tode in die Erde des Grabes geleget werden. Wenn ich meine wenige Gedancken über diese Worte eröffnen soll, so halte dafür, sie können am besten erkläret werden aus Hiob XIV. 8. Sein, nemlich des Baums, Stamm erstirbt im Staube. Mit welchem Gleichniß er auf die Verwesung des Menschen zielet, wie v. 10. seqq. deutlich gezeiget wird. Daß also auch hie Christus von seiner Verwesung redet. Versio LXX. hat die angezogenen Worte Hiobs gegeben: Sein Stamm erstirbt im Stein-Felsen, welche Redens-Art man gar füglich von Christo sagen kan, Er sey in dem Grabe, so aus einem Stein-Felsen gehauen, erstorben, verweset.

§. IIX.

At enim vero, si dicendum, quod res est, ne minimam quidem his probandi vim inesse iudicamus.

Nec ſatis erat, quid ſibi de loco Pſalmi viceſimi ſecundi, contra communem interpretum ſententiam, videatur, indicaſſe, nulla diſſenſus ratione addita. Eam vero nec in Iobi verbis facile quisquam agnouerit. In his, non negamus, reſpectum eſſe ad hominem in ſtatu mortuorum conſtitutum: ſiue hic ſpes arboris & hominis ſibi opponantur inuicem, ſiue a minori ad maius argumentatio ſit, quod fere recentiores volunt interpretes. Attamen ea phraſi praeciſe ad corruptionem corporis ſepulti, qua reſoluitur in puluerem, reſpici, gratis iterum aſſumitur. Nec enim trunci, per deſtructionem partium intimam, putrefactio eſt, quam *trunci in puluere mortem* vocat; ſed deſtructionem illam antecedens virium conſumptio, & ſucceſſiua virtutis vegetatiuae exſtinctio, quam truncus ſubit etiam ex ea parte, quae בעפר in puluere ſeu terra exiſtit. Ad *mortem* igitur potius, quod & natiua verbi ימות ſignificatio ſuadet, quam ad corruptionem corporis iam mortui iſta phraſi reſpici, nec per *ſimilitudinem* tamen aut *tropum*, quo pacto *arbor*, quod noſter velle videtur, *hominem* ſignificaret, verum per oppoſitionem potius aut vnius ad alterum collationem, dici debebat. Et ſuauiter ſibi iſta reſpondent v. 7. & 10. יכרת de arbore & de homine ימות iterumque v. 8. & 10. de radice arboris יזקין & de homine יחלש, de trunco ימוש & de homine יגוע. Tantum abeſt, vt ad iſta Iobi, pro phraſi Dauidica illuſtranda, confugiendum ſit. Quemadmodum neque in hac ipſa quidquam, quod corruptionis in corpore Ieſu quaedam initia inferat, deprehendimus: quum nihil obſtet, quo minus, quod interpretum plerisque viſum, veterum aeque ac recen-

tio-

tiorum, *adiudicatio ad mortem & ſepulturam* diuinitus facta, *collocatio in puluerem mortis*, ſatis quidem commode dicta putetur.

Steuchus quidem (quod in enarrationibus ad locum Dauidicum *Henr. Mollerus* monuit,) עפר מות *puluerem mortalem* interpretatur, *in quem homines poſt mortem reſoluuntur*. Quod num eadem etiam, qua noſter Anonymus, mente fecerit, reuera Chriſti corpus aliquid corruptionis ſubiiſſe credens, non habeo dicere. Praeter interpretum tamen fere communem conſenſum, res ipſa loquitur, *collocari*, *deponi in puluerem* rectius de ſepultura, quam, quae eam ſequi ſolet, putrefactione, dici, qua *iam poſitum* in puluere corpus in puluerem abit ipſum. Quis ferret enim, defunctum *in ſuum ipſius puluerem* poſitum, dici? Et tamen, ſic niſi ſtatuatur, in עפר מות non tam corruptionis propriae, nedum certo ſecuturae indicium, quam loci, in quo collocatur funus, deſcriptionem, contineri, fatendum eſt. In ſepulcris nimirum & terrae pulueri (Exod. IIX. 16. 17.) & diſſolutorum cadauerum locus eſt. Neque etiam עֲפַר־מָוֶת ſed עֲפַר־מֵתִים dicitur, quo nomine complecti vtrumque, nil prohibet. Recte igitur interpretes non corruptionem, ſed delationem in terram ſepulcri reſpici, iudicarunt. Et conueniunt phraſes v. 30. huius pſalmi, *deſcendere in puluerem* (ſaltem ex eorum ſententia, qui mortuos ibi aut morti vicinos indicari exiſtimant,) Pſ. CXLIII. 3. *habitare me fecit in tenebris inſtar mortuorum*, iterumque Eccleſ. XII. 5. *abit homo in domum ſeculi* (niſi hic aeternitatis locum aut ſtatum reſpici malueris). Neque multum illud Neronis abit, quum, periculo imminente, & hortante liberto, vt in ſpecum egeſtae arenae concederet, *negauit, ſe viuum ſub terram iturum*, apud *Suetonium* Lib. VI. Neron. Cap

XLIIX. ad mortuorum indubie non corruptionem, ſed ſepulturam, reſpiciens. Quae cum ita ſint, vix equidem, niſi vt hypotheſi ſeruiret, loco per ſe minime obſcuro ex Iobi verbis lucem afferendam putaſſet Anonymus. Quae tamen ipſa, vt ad trunci in terra putrefactionem referantur, nulla nos vrget neceſſitas. *Mori* dicuntur arbores, dum vis earum vegetatiua euertitur. Quod fieri poteſt, quando ſiccitate magna incidente, exareſcunt, ſucco ſenſim deficiente: quo reſpicit Iobus *ſenio* radicum conſumptionem comparans, priori verſus hemiſtichio. Vid. *Seb. Schmidius* ad h. l. Adde ſis, quae de plantarum vita, morte & morbis, inter veteres *Theophraſtus* ſcripſit lib. IV. Hiſt. plant. cap. XIV. ſeq. comparatis, quae *Sam. Bochartus* commentatus eſt Hieroz. part. I. lib. I. cap. I. init. Non igitur mors trunci ſtatim putrefactio eſt. Neque hic per עפר puluerem ligni iam conſumpti auctor dixerit intelligi, aut truncum in terra iacentem reſpici, cui nulla ſpes reflorefcendi, aqua affluente v. 9. Reſtat, ut in terra defixum, ſenſim ſucco & viribus deficientem, tandemque morti proximum, Iobus in animo habuerit. Adhuc vero in eo magis fallitur noſter, quod *ſimilitudine* arboris hominem denotari exiſtimat, ſcribens: Mit welchem Gleichniß er auf die Verweſung des Menſchen zielet. Non in eo enim erat Iobus, vt, quae homini contingunt, hic ſub imagine arborum pingeret, ſed vt, quae contingunt arboribus v. 7. 8. 9. cum iis conferret, quae hominibus eueniunt v. 10. ſeqq. Siue in his oppoſitionem ſtatuas, qua ſpes quidem arbori, homini vero nulla, reditus ſaltem ad hanc vitam mortalem, eſſe dicatur, quod fere communiter tradunt interpretes, & poſt *Schmidium* etiam recentiores inter *Io. Henr. Michaelis* notis ad Hagiograph. h. l. ſiue contra, pro adſtruenda melioris vitae ſpe, a minori ad maius collectionem inſtitui exiſtimes, quae ſententia ſe probauit *Io. Adolpho Hoffmanno*,

eius-

eiusque editori, *Herm. Sam. Reimaro*, ad h. l. p. 451. & 459. *Theoph. Alethaeo* in der Erläuterung dunckeler Oerter, LVI. Verſ. p. 466. ſeqq. *Georg. Chriſtoph. Dachſelio*, Bibl. accentuatis p. 563. Ne illud nunc magnopere vrgeamus, quam parum conuenienter corpus iam emortuum in puluere emori, & Chriſti corpus iam ἀποθανὸν in ſaxo monimenti τελευτᾶν dicatur. Quidquid ſit de phraſi hic, vt ſaepe alias, dormitantium LXX. interpretum.

§. IX.

Ex his facili etiam negotio iis ſatisfieri poterit, quae ſub Numero IV. legimus, ex *ſimilitudine mortis Chriſti & fidelium*, a Paulo aſſerta, conſequi, illud etiam de morte Chriſti verum eſſe, quod de morte piorum ſcriptum eſt: σπείρεται ἐν φθορᾷ, vt hac ratione ipſe ſit verum illud *tritici granum*, quod πεσὸν εἰς τὴν γῆν ἀποθανεῖν dicitur. Quaſi vero illud apud omnes ſatis exploratum atque compertum ſit, illud ὁμοίωμα θανάτε ad mortem credentium temporalem pertinere, cui tamen oppido textus συνάφεια repugnat; & ſimilia ſibi per omnia conuenire, neceſſe ſit; nec mors Chriſti, qua in terram cecidit, morti grani ſub terra comparari poſſit, cui ipſa diſſolutio mors eſt, quum in homine haec ſint diſtincta. Leuiora ſane ſunt haec, quam vt iis immorari debeamus.

Habeas tamen, vt iudicare poſſis, verba auctoris p. 556. IV. Saget Paulus Rom. VI. 5. Wir werden mit Chriſto gepflantzet zu gleichem Tode. Nun heißt es 1. Cor. XV. 42. Es wird geſäet verweßlich. Soll nun eine Gleichheit ſeyn zwiſchen Chriſti und unſerm Tode, ſo hat er auch als das rechte Weitzen-Körnlein verweßlich geſäet werden müſſen, und

NB. erſterben, wie er ſelbſt redet, Ioh. XII. 24. Sane verba Rom. VI. 5. vt per accommodationem homileticam ad mortem corporis referri poſſint: eam tamen Apoſtoli mentem fuiſſe, & verborum ſenſum literalem, vix quisquam in animum induxerit interpretum. *Thummio*, Chriſtum nobis ſimilem factum quoad mortem ipſam & ſepulturam, non eius modum, quia corruptionem non viderit, ſcribenti, *Iuſtus Fewrbornius* regeſſit, corruptionem non eſſe modum ſepulturae, ſed adiunctum hominis mortui & ſepulti, Κενωσιγε. Sect. III. Cap. XIII. n. 5. p. 93. ſeqq. Idem noſtro etiam reſponderi poterit de ſimilitudine mortis Chriſti & hominum. Loci Io. XII. 24. ſcopus erat mortis Chriſti non modum, ſed neceſſitatem & vtilitatem docere. Videtur tamen cum Anonymo ſenſiſſe Reformatus interpres *Lampius* ſcribens: *Quoad ſepulturam autem Ieſu corpus* cadere in terram *adumbrat corpus humo conditum*, & emori *dicitur*, *per externarum exuuiarum deſtructionem*, *ac omnis mortalitatis omniumque terreſtrium corporis animalis partium conſumptionem*, Comment. in Ioh. Part. II. p. 861. 862.

§. X.

Habet illud aliquam ſpeciem, quod ex Act. XIII. 34. ſub numero V. nectitur ratiocinium: ſi μηκέτι *non amplius* Chriſtum εἰς διαφθορὰν reuerſurum recte dicitur, conſequens eſſe, vt ante aliquo modo διαφθορὰν ſubiiſſe concedatur. Atque hic ſibi tandem veram verborum Pſ. XVI. & Act. II. interpretationem reperiſſe videbatur Anonymus; ad locutionem inſuper his geminam, Rom. VI. de morte Chriſti adhibitam, prouocans.

Si requiras & hic verba auctoris, haec ſunt p. 556. 557. V. Hat Petrus (Paulus ſcribere debebat) Act. XIII. 34. da er

von der Verwesung redet, gar merckwürdig hinzugethan: Er wird **fort nicht mehr** verwesen: Womit er den locum Ps. XVI. Act. II. deutlich erkläret. Paulus gebrauchet eben diese Redens-Art Rom. VI. 9. von dem Tode Christi, Er stirbt ἐκέτι hinfort nicht. Wie er nun wahrhafftig muß gestorben seyn, wenn er hinfort nicht mehr sterben soll, so muß er auch wahrhafftig verweset seyn, wenn er hinfort nicht mehr verwesen soll. Videtur hic fontes haud inspexisse Anonymus, non illud μηκέτι solum, id si fecisset, nobis oppositurus, in quo non multum haeserint, qui contraria sentiunt, sed vel maxime etiam illud ὑποσρέφειν *reuerti in corruptionem*, pro se allegaturus, qnod vnum, si quid aliud, sententiae sibi probatae speciem conciliare videri poterat: quamuis ne sic quidem ab asserta corporis benedicti ἀφθαρσία omnimoda, pedem referre, necesse sit.

§. XI.

Subit nos hic admirari nonnihil auctorem, de seruanda adstrictissime vnius particulae μηκέτι frequentiori significatione sollicitum, cui tamen haud graue fuerat, in verbis oraculi Dauidici sensum admittere nimium quantum insolitum: de quo Cap. I. monuimus. Vult ἰδεῖν διαφθορὰν idem esse ac *corruptionem in perpetuum subire*, quasi εἰς αἰῶνα ἰδεῖν διαφθορὰν dictum fuerit. Quid si vero hic μηκέτι ὑποσρέφειν εἰς διαφθορὰν per ellipsin eandem, *non reuerti in corruptionem perpetuam*, significare diceretur? Egregie scilicet sic argumentationi consultum fuerit Apostolicae! At nobis hac potius via recta incedendum videtur, vt propter assertam diuinis oraculis Christi ἀφθαρσιάν omnimodam, illud μηκὲτι ὑποσρέφειν εἰς διαφθοράν, non ad inferendum ali-

aliquod in corpore eius ſepulto corruptionis initium inflecti debere, concludatur.

Ita fieri debere, ille noſter non iuerit inficias, vt ex dictis clarioribus & ſede argumenti propria, eorum, quae dubiae magis ſunt interpretationis, & ſcopo diuerſo prolata, ſenſus determinetur, non vt ex his illis inflectendis vis adhibeatur. Vidiſſet haud dubie, niſi ex his, quae diſcuſſimus hactenus, dubiorum nebulis, aliena praeconcepiſſet animus, quae Dauides vaticinatus in hanc rem fuerat, ſatis clara eſſe, accedente praeſertim allegatione Apoſtolica, & Petri Act. II. & Pauli hoc ipſo Cap. XIII. ſed v. 35. coll. V. 37. vbi expreſſe, οὐκ εἶδε διαφθοράν, de Chriſto dicitur. Nihil ſane apertius, nihil reſtricte minus ad remouendam de corruptione cogitationem quamcunque, dici poterat. Et in his quidem, vbi de corpore Chriſti ſepulto, quid in triduo mortis ipſi contigerit, quaeritur, ſedes eſt argumenti propria: non aeque in illo Apoſtoli, quod vrget Anonymus v. 34. Nam ibi, quid redemtori iam vitae reſtituto in poſterum euenturum non ſit, necdum allegato Dauidis oraculo, D. Paulus pronuntiat. Igitur, ſi difficultatis hic aliquid, quod ad ſtatum corporis Chriſti ante reſuſcitationem, ſubeſſe videatur, non ex his iſta, quae ſedibus dicta ſunt ἰδίοις, inflectenda, ſed eligenda conueniens illis interpretatio eſt. Quam viam iniiſſe adhuc interpretes plerosque omnes, auctor ignorare non poterat.

§. XII.

Eſt autem interpretatio non vna verborum Apoſtoli, qua, pugnam illis cum oraculo Dauidico nullam eſſe, docuerunt his animum aduertentes viri eruditi. Exponenda, quae nobis ſe probauit, opinio. Agnoſcimus,

mus, rariorem licet, non tamen nullibi obuium, vocabulorum μηκέτι & οὐκέτι vſum, quo vel negant ſimpliciter, vel de tempore ſaltem futuro negant, non habito ſimul reſpectu ad antecedens. Vertendum igitur μηκέτι μέλλοντα ὑποστρέφειν *non reuerſurum*, ſimpliciter, vel, *non reuerſurum poſthac.* Neque enim *non amplius reuerſurum* accurate dixeris, niſi qui *iam ante reuerſus* fuerit. Chriſtus vero nunquam ante reuerſus εἰς διαφθορὰν. Ais autem, quem negamus *reuerſurum* eſſe in locum aut ſtatum quemcunque, eum ante in hoc ſtatu vel loco *fuiſſe*, ſupponimus? Memineris igitur, aut διαφθορὰν hoc loco generaliori ſignificatu ſtatum mortalitatis mortemque ipſam denotare poſſe, aut illud εἰς non reuerſionis praeciſe *terminum*, ſed *euentum* reſpicere, hoc ſenſu: *Chriſtum excitatum ex mortuis, non reuerſurum in vitam hanc mortalem mortemque ipſam, ita vt in ipſam tandem* διαφθορὰν *corpus ſanctiſſimum abire permittatur, contra quam de eo Dauides vaticinatus erat, non viſurum* διαφθορὰν *ſanctum Iehouae.*

Διαφθορὰν hoc loco *Beza & Piſcator ſepulcrum* vertunt. Idque ex vſu LXX. interpretum, quibus interdum διαφθορὰ, vt ipſum Hebr. שחת, eſt locus corruptionis, Pſ. VII. 15. IX. 16. Prou. XVI. 27. Sed his merito opponitur idem vocabulum, in ſequentibus ita adhibitum, vt non locum certe corruptionis, ſed corruptionem ipſam neceſſario ſignificet. Nihil tamen obſtat, quo minus eiusdem verbi ſignificatio quaedam generalior hic admittatur: cum, quod *diſſolutionem corporis ſepulti* in allegationibus oraculi Dauidici denotet, non ex natura vocis, ſed textus circumſtantiis determinari, in confeſſo ſit. Nam ibi de ſepulto Chriſti corpore verba fiunt:

at hic reſulcitatum Paulus praedicat. Negat igitur, eum in διαφθορὰν, quaecunque demum illa ſit, reuerſurum. Et *mortem* ipſam διαφθορὰν dici, *Suidas* auctor eſt. Quomodo & h. l. *Matth. Flacius* interpretatur. *Internecionem, ſtragem, caedem, perniciem quamcunque* eodem nomine venire, Lexica praecipiunt. Et φθορὰν Paulus 1. Cor. XV. 42. non corruptionis actum praeciſe, ſed corruptibilitatem dixit, ſeu ſtatum corporis, quo corruptioni poteſt reddi obnoxium. Conf. in hanc ſententiam *Io. Boiſius* Collatione veteris interpretis cum Beza aliisque recentioribus in IV. Euang. & Apoſt. Actis ad h. l. p. 403. ſeqq. cuius locum in Curis Philol. Crit. ſuppeditauit ven. *Wolffius*. Quocum tamen in eo facere non poſſumus, quod & iſta v. 35. allegata Dauidis verba ad Chriſtum iam reſuſcitatum commodiſſime referri poſſe exiſtimet. Repugnat enim ordo verborum Dauidis ad reſuſcitationem v. 11. tranſeuntis. Et neruus infringitur argumentationis Apoſtolicae, quum aeque verum de Dauide ſit, eum, quando vitae olim reſtitutus fuerit, non viſurum שחת. At in Dauidem non conuenire verba, vterque Apoſtolus vrget; igitur non reditum εἰς διαφθορὰν, ſed διαφθορᾶς perpeſſionem ſimpliciter negant verba Dauidica. Quod ſi vero & eo loco, de quo nunc agitur v. 34. quem ad iam reſuſcitatum reſpicere manifeſtum eſt, διαφθορὰν nihilominus, ob ſequentia, de conſumptione corporis mortui aut corruptione putredinis, accipere malis, dabis interim, praepoſitione εἰς non neceſſario terminum ad quem, verum ſaepe etiam finem aut euentum notari, etiam quando cum nomine conſtruitur, vt eſt Matth. X. 18. 2. Cor. IX. 11. Rom. VII. 10. Act. II. 38. XI. 18. &c. Id ſi hoc loco obtineat, veriſſime Chriſtus iam reſuſcitatus dicitur *non reuerſurus ad corruptionem (ſubeundam), non rediturus* ex vita glorioſa, hoc fine, ſeu euentu, *vt corruptionem* corpus denuo morte exſtinctum *experiatur*

tur. Neque iſta interpretandi ratio mira cuiquam aut peregrina videri poterit, quum vel e medio petita occurrant, his quae conueniunt, eloquendi genera. Quis non enim *in ſuum infortunium profectum vel reuerſum* dixerit hominem, vel in itinere, vel poſt reditum malis grauiſſimis obrutum? & tamen hic, neque profectionis aut reditus terminum ad quem, ſed euentum notari, neque, quem in ſuum malum rediiſſe dicimus, iam ante iisdem malis preſſum indicare velle, ſatis vnicuique obuium eſt. At ne tandem illud vnum, in quo haerebat, nobis adhuc obuertat Anonymus, quod de μηκέτι & οὐκέτι monuimus, paucis probandum eſt. Diximus in theſi, his interdum rem negari ſimpliciter, vel certe ſine reſpectu ad antecedens, vt quodcunque μηκέτι euenturum dicitur, non neceſſario, iam ante eueniſſe aliquando, ſupponatur. Vix etiam fieri potuiſſe exiſtimamus, quum locus Rom. VI. 9. ante oculos eſſet auctori poſitus, quin ea, quae ad eiusdem commatis extrema verba iam olim diſputata ſunt, in mentem redirent, vtrum recte inferatur, Chriſtum aliquando mortis imperio fuiſſe obnoxium, ex eo, quod Apoſtolus dixerit, mortem ipſi οὐκέτι dominaturam? Adfirmantibus fere Pontificiis & Caluinianis noſtri plerumque negant. Vid. *Wellerus* ad h. l. & *Seb. Schmidius*, nec non *Sal. Glaſſius* Philol. ſacr. Lib. III. Tract. V. can. XI. p. 958. ſeq. & *Valentinus Alberti* ſingulari Diſſ. num mors Chriſto dominata fuerit? Lipſ. 1688. habita. Quibus accedit etiam rev. *Sal. Deylingius* Obſeru. ſacr. Part. III. p. 353. §. XI. Iſtis igitur iam obſeruatum eſt, οὐκέτι interdum negare ſimpliciter, nec idem eſſe, quod *non iterum*, ſed *non deinceps* aut *inpoſterum.* Quorſum praeter hunc noſtrum locum Act. XIII. 34. illum etiam Io. XV. 15. allegare ſolent, vbi Seruator ad diſcipulos: οὐκέτι ὑμᾶς λέγω δούλους. Equidem, contra haec loca non defuturum pertinaci aduerſario, quod exciperet, prudenter celeb.

Wolffius monuit, cum cautione & recto ſenſu Chriſtum ſub dominio mortis fuiſſe, poſſe admitti ſtatuens, quocum ſentiebat *Franc. Wokenius* in Strom. Apoſtolicis Dom. VI. p. Trin. pag. 94. Et ſane, vt in loco Io. XV. 15. ſignificatum *non amplius*, cum reſpectu ad tempus antecedens, omnino retineri voluit recentior interpres Reformatus *Frid. Adolphus Lampius*, ita in Notis ad eundem, loca Act. XIII. 34. Rom. VI. 9. ὑποθέσει δελεύων, prorſus *contrarium probare*, iudicabat p. m. 247. Tom. III. At nobis, illud nunc negotii datum non eſſe arbitramur, vt de locis Rom. VI. & Io. XV. (quod paucis fieri non licet,) iudicium feramus. De loco Act. XIII. per ea, quae adhuc diſputata nobis fuerunt, certiſſimi ſumus. Vrget negata de ſancto Iehouae corruptio omnis: &, quod in theſi monuimus, ne διαφθοράν quidem ſimpliciter, ſed reditum εἰς διαφθοράν ante factum admittendum fore, ſi verum ſit, μηκέτι neceſſario cum reſpectu ad antecedens intelligendum eſſe. Praeterea ipſum ἔτι interdum abundare, obſeruant Lexicographi, vt in illo Odyſſ. ω. εἰμ' ἔτι γνοίη, interdum idem eſſe ac *poſthac*, *inpoſterum*, ex Odyſſ. α & ε probant, vbi noſtrum μηκέτι reſolutum habes: μή τις ἔτι πρόφρων ἀγαγὼν καὶ ἤπιος ἔσω σκηπτοῦχος βασιλεύς. Et in ratiocinando praeſertim οὐκέτι occurrit in ſcriptis N. T. *non iam*, vel *non ſane* ſignificans, nullo habito ad tempus aliquod, nedum antecedens, reſpectu. Rom. VII. 17. 20. XI. 6. Gal. III. 18. Clariſſime denique 1. Cor. III. 2. ἀλλ' οὔτε ἔτι νῦν δύνασθε, *immo ne nunc quidem adhuc poteſtis*, de Corinthiis dicitur, non ſane ea mente, quod potuerint antea, dixerat enim Apoſtolus: οὔπω γὰρ ἠδύνασθε. Rectiſſime igitur & hoc loco: ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν μηκέτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν, vertimus: *Quod autem ſuſcitauerit ipſum a mortuis, nec poſthac unquam reuerſurum ad corruptionem ſubeundam.* Addimus *Seb. Schmidium* de loco Rom. VI. 9. argumentationi contradi-

dicentem, quam noſter ſuam fecit, Annot. ad c. l. p. 462. 463. *Quando quidam*, inquit, *conſequentiam nectunt: Non amplius moritur, ergo prius iam mortuus eſt, conſequentia illa nulla neceſſitate nexus nititur. Sicut haec conſequentia nulla eſt: quos dies nouiſſimus deprehendet, non amplius morientur, ergo prius mortui ſunt. Quando itaque commentatores dicunt: Chriſtus non amplius moritur, ſicut ſemel mortuus eſt pridem: non conſequentia eſt ex loco noſtro, ſed explicatio ex aliis locis, ex quibus conſtat, quod Chriſtus ſemel mortuus reuera ſit, deſumta. Futurum tempus Apoſtolus reſpicit, in quo non amplius Chriſtus moriturus ſit, quicquid etiam prius factum fuerit: vt commode* τὸ ἔτι *reddi poſſe videatur per* DEINCEPS; *Chriſtus deinceps non moritur. Hinc B. Lutherus*, hinfort nicht ſtirbt, *non autem* nicht wiederum ſtirbt. *Certe enim differunt*, ἔτι, *deinceps &* δεύτερον, *iterum.* Conf. etiam ad noſtrum locum, praeter Commentatores, *Abr. Calouius* in Exam. libb. Crellii de vno Deo §. 374. ſeqq.

§. XIII.

Adhuc igitur nihil eſt, quod corruptionis in corpore Chriſti ſepulto quaedam initia ſtatuere, atque eo verba Dauidis inflectere, vrgeat. Pauca tamen inſuper occurrunt, quae monenda duxit Anonymus. Et ſub numero quidem VI. quae argumento Theologorum ex vnione perſonali petito oppoſuit, cap. I. diſcuſſimus. *Septimum* vero auctoris dubium locum illuſtrem 1. Pet. I. 18. tangit, vbi quod φθαρτοῖς, auro atque argento, opponatur ſanguis redemtoris, ipſum eum minime φθαρτὸν eſſe oportere, aduerſus Caluinianos praeſertim noſtri arguere ſolent. Id vero an recte factum ſit, dubitat Anonymus, eo quod nec expreſſe ἄφθαρτος ſan-

guis Christi dicatur, nec, si ita diceretur, ἀφθαρσίαν ratione substantiae inde inferre liceat, quum sufficiat, ratione virtutis & efficaciae ἄφθαρτον doceri ab Apostolo.

Haec ita noster p. 557. 558. VII. Einige wollen ex 1. Petr. I. 18. beweisen, daß das Blut Christi unverweßlich sey, weil es dem vergänglichen Silber oder Gold entgegen gesetzet wird: alleine das folget aus dem Gegensatz gar nicht, so weiß ich auch keinen Ort, da das Blut Christi ausdrücklich ἄφθαρτον genennet wird. Gesetzt aber, es fünde sich ein solcher Ort, oder es wolte Petrus durch diesen Gegensatz bekräfftigen, daß Christi Blut unverweßlich sey, so gehet die Absicht nur auf die Krafft des Bluts Christi, nicht aber auf die natürliche Substanz desselben. Ἄφθαρτον ists in seiner Auferstehung worden, aber da es vergossen ward, und von den Feinden mit Füssen getreten, war es der Verwesung unterworffen. Atque ea sic nude asseruisse, probatione nulla addita, sufficere credidit.

§. XIV.

Facile quidem ita dictorum quidquid est probantium nobis extorserit aduersarius, si sufficiat, posse aliquo modo ea in diuersum a nostra opinione sensum inflecti. Verum non inferendus ex concepta hypothesi, sed ex verbis eruendus erat, sensus oraculi Apostolici. Manifestum est, oppositionem fieri inter argentum aurumque & Christi sanguinem redemtorium. Nec dubitari potest, in hac oppositione ad corruptibilitatem & incorruptibilitatem respectum esse: quandoquidem absque eo si esset, illud φθαρτοῖς frustra & sine emphasi positum diceretur. Igitur quod φθαρτοῖς oppo-

ponit Apostolus sanguinem mediatoris, perinde est, ac si ἄφθαρτον expresse eum nominasset. Neque opus est omnino, illud vocabuli de sanguine Christi ἐητῶς adhibitum requirere. Quum praesertim, nihil humanae Christi naturae, atque adeo nec sanguinem eius corruptioni obnoxium fuisse, per vaticinium Dauidicum efficiatur. Neque per hoc ipsum oraculum Dauidicum licuerit ἀφθαρσίαν sanguinis Christi ad perpetuitatem valoris ac virtutis solum restringere. Quin, vt aurum atque argentum, vel maxime etiam ratione substantiae suae, φθαρτοῖς connumerari indubium est: ita vicissim ἄφθαρτον, ratione substantiae, Christi sanguinem esse, ex oppositione recte concluditur: nisi forte illum ratione substantiae omnino corruptum fuisse, certo atque inuicte demonstrari possit. Id quod tamen hactenus a nemine, neque etiam nostro Anonymo, praestitum fuit.

Consulendi, si quis plura desideret, praeter interpretes epistolae Petrinae, auctores de sanguinis Christi ἀφθαρσία supra allegati Cap. I. nec non singulares *Io. Meisneri* de sanguine I. C. & *Casp. Loescheri* de incorruptibili sanguine Iesu, Wittebergae habitae Dissertationes.

§. XV.

Sed & illud, nostro quod fere priuum est, obseruari meretur, sanguinem Christi, ex sententia illius, eundem, qui & pedibus hostium conculcatus & corruptus fuerit, in resurrectione factum ἄφθαρτον atque adeo reassumtum esse: quum, qui alias computruisse sanguinem affirmant, reassumtum illum atque in ve-

nas

nas recollectum in resurrectione, negare soleant. Si dicendum, quod res est, hos sibi melius constare iudicamus, contendentes, illud, quod computruit, ad integritatem non pertinuisse humanae Christi naturae. At ille noster & ruptum, qua sanguinem, (immo corpus ipsum,) personalis vnionis vinculum, & per resurrectionem restitutum, si vrgeatur, concedere, aut hypothesin factae corruptionis deserere, tenebitur.

Sane enim quod computruit, Christi sanguis esse desiit. Excidit ergo naturarum intima coniunctione, denuo assumendum a λόγῳ, si carni Christi resuscitatae restitui deberet, ἀφθαρσίᾳ simul & exaltationis gloria coronandum. Quanto rectius nostri adhuc firmiter tenuerunt regulam *Damascenianam* de fid. orthod. Lib. III. *Quod* λόγος *semel assumpsit, nunquam deposuit.*

§. XVI.

Quae pro amolienda a se Caluinismi suspicione sub num. VIII. posuit Anonymus, hic verbis ipsius retulisse sufficiat. Neque enim, quam sententiam adhuc falsam minimeque probatam statuimus, de eius abusu est vt solliciti teneamur. Praeterquam quod nec Reformati omnes nec soli pro corruptione sanguinis Christi decertant.

Ita vero ὁ δεῖνα p. 558. VIII. Es ist bekannt, daß die Reformirten auch statuiren, daß das Blut Christi verweset sey. Alleine dieser Satz wird von ihnen schändlich gemißbrauchet. Denn da sie mit ihrer Vernunfft die wahrhafftige Gegenwart des Leibes und Blutes Christi im H. Abendmahl nicht reimen können, so wollen sie hieraus schliessen, es könne uns das Blut Christi nicht wahrhafftig zu trincken gegeben werden. Allein

diß

diß folget gar nicht. Denn wir essen den Leib, wir trincken das Blut, dem in der Auferstehung ein unvergänglich, und zugleich allgegenwärtiges Wesen durch die unbegreiffliche überschwengliche Krafft GOttes ist mitgetheilet. Saltem igitur primos sacratissimi epuli conuiuas Apostolos sanguine potatos corruptibili, eodemque mox corrumpendo, noster admittat, necesse est. De Caluinianis ἄφθαρτον Christi sanguinem statuentibus supra monuimus. Negantibus ex Pontificiis Minoritas accedere constat, cum paucis aliis, quorum sententia nec *Cornelio a Lapide* improbabilis visa in Comment. ad Act. II. 27. Litem Dominicanorum & Franciscanorum in compendio habes apud *Calouium* in Synopsi controu. potior. p. 392. seqq.

§. XVII.

Tandem suae fere oblitus modestiae noster Anonymus, qui Caluinismi labem sibi nolebat adspergi, nostros tamen, ne per assertam sanguinis Christi ἀφθαρσίαν in Papismi suspicionem incautos se coniiciant, monendos fideliter existimauit. Videri enim, sic reliquiarum sanguinis Christi, quas Papaea iactat superstitio, patrocinium suscipi. Scilicet, id si verum sit, sanguinem Christi corrumpi non potuisse, facile etiam (ita mire ratiocinatur,) fieri quiuisse, vt eius guttulae asseruarentur nonnullae. Quae recensuisse est refutasse: Praesertim quùm, non incorruptum tantum, sed & reassumtum integrum Christi sanguinem in resuscitatione nostros statuere, non ignoraret, abhorrere illos ab ista superstitione, simul ipse monens: nec tamen ea inuicem esse ἀσύτατα probans. Nisi forte difficilioris res fuerit negotii diuinae potentiae, ne quid san-

guinis pretiosissimi interciperetur, cauere, ac eundem, vt in venas recolligeretur, asseruare.

Lege tamen & hic verba auctoris, parum amussitata, pag. 558. LX. Will man das Blut Christi von aller Verwesung frey sprechen, so scheinet es fast, als ob man der Meynung der Papisten favorisiren wolle, welche die reliquias desselben zeigen, als ein sonderbares Heiligthum. Denn hat es nicht verwesen können, so haben auch leicht etzliche Tropffen davon können aufgehoben werden. Welches doch unsere Theologi billig verwerffen. *Vide Clozium de sang. sudore Christi. Diss. XVI.* Haec ille. Mirum vero, ipsos ex Pontificiis Franciscanos, pro asserenda non sane ἀφθαρσίᾳ, sed corruptione sanguinis Christi, ad reliquias prouocasse, quae in Laterano, Venetiis, Mantuae ostenduntur. Et vicissim Dominicanos, pro ἀφθαρσίᾳ propugnantes, per modum exceptionis in gratiam Pontificis addidisse, *rem altioris esse indaginis, anne totus Christi sanguis in passione fusus cum Christo resurrexerit?* quo facto opus non fuisset, si in ipsa ἀφθαρσίᾳ reliquiarum praesidium esse, potuissent in animum indücere. At illis haud dubie versabatur in mente, non incorrupti, sed corrupti omnino sanguinis esse, quas ostentari meminerant, reliquias. Audi *Franc. Collium* Lib. V. de sanguine Christi Disp. VII. cap. VI. *Sanguis Mantua in vrbe atque in sacra Sindone conspicitur, in quibus non sanguinis forma, sed vestigium duntaxat rubri coloris ex peracta sanguinis permutatione residuum apparet.*

§. XIIX.

Sic igitur, posteaquam satis diu, nisi me fallunt omnia, in his haesimus, finem tandem dicendi faciimus. Quod ad vsus enim attinet Theologicos, ex his, quae,

tractata sunt, deriuandos, v. g. de sanctitate & personae & officii mediatoris nostri; de certitudine redemtionis ipsa morte Redemtoris absolutae; de diuina circa exinanitionis aeque ac exaltationis Christi negotium omne prouidentia; de veritate & diuinitate scripturarum ex consensu V. & N. T. vaticiniorumque complemento euidentissimo; de solatiis aduersus mortem & destructionem corporis, restituendi quippe virtute Christi victoris, morte & corruptione superioris; de πληροφορία credentium, ad exemplum liberatoris, in omnibus prouidae summi numinis curae & gubernationi iustissimae, sanctissimae, benignissimae, secure innixa, &c. plura huc facili conferri possent negotio. Quae tamen sponte, ista pie meditantibus, se offerunt. Ad extremum, non dubiorum quidem atque obiectionum recens propositarum pondere, sed rerum, de quibus agitur, momentis, permotos ad hanc operam nos accessisse, fatendum est: qui monitos velimus quoscunque, scripturarum meditationi intentos, ne in obiectanda confestim publice orbi erudito sua seu dubia, seu coniecturas, prorumpant, si quae forte circa dogmata fidei aut morum, eorumque fontes, quos classica vocant dicta, quomodocunque nouae subortae fuerint, nec nisi meditata probe, quae religionis mysteria tangunt, aliorum iudicio communi permittant.

Ipsi vero Iehouae summo, & SANCTO IPSIVS, qui solus habet ἀθανασίαν & ἀφθαρσίαν, sit honor & gloria in aeternum! Amen!

Benedictus, qui dedit lasso robur!

GRATVLATIO

CHR. AVG. HEVMANNI, D.

Est MENZERORVM dudum venerabile nomen,
Inque sacris Fastis fama perennis erit.
Quam bene, quam cupide sequeris vestigia patrum
Tu, MENZERE, sacri summe Chorage chori!
Non poterat titulus DOCTORIS reddere maius
Lumen, quo maius non habet haec regio.
Scilicet inter eos, qui dogmata sacra tuentur,
REX voluit primo Te residere loco.
Sed sic in fatis, AVGVSTA GEORGIA *primum*
Vt Te DOCTOREM rite crearet, erat.
Omnis instar id est, DOCTORES scilicet vnquam
Ne Tibi dissimiles illa creare velit.
Sancte hi defendant Scripturae dogmata sanctae,
Exemplo errores conficiantque Tuo.
Viue, VIR ILLVSTRIS, superes vt Nestoris annos!
Sacra diu resonent pulpita voce Tua!

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Mentzer, Balthasar,

Diss. inaug. sistens aphtharsian corporis Christi in cruce extincti

Gottinga 1738
4 Diss. 3401,23
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10963571-5
VD18 15026000-001